





2
6
290









XXXII

~~CENTOFL~~

~~in Conc.~~

in TRID

conc: CENTOFL



Sacri Concilij
Tridentini
CLYPEVS
Contra
Hæreticoꝝ Sagittas
Auctore
Abb. Lud. Centoflorenio
Piceno
S.T. ac I.V. Doctore
et in Rom. Curia
Aduocato
Romæ Typis Sacræ Congreg.nis de Propaganda Fide. Superioꝝ concessione
Carolus Maratta deli. inuenit.
Seb. Fulcarus Sculpsit



Sanctissimo Domino Nostro

INNOCENTIO
DECIMO
PONT. MAX.

LVDOVICVS CENTOFLORENIVS
Sempiternam Felicitatem.





X Africanæ Synodi ad Theodorum Papam litteris compertum est, antiquo sancitum instituto, ne quid Ecclesiasticis de rebus tractatum, scriptumue prodeat, quod non fuerit sacro illius oblatum conspectui, cui diuinitus Terrena simul, ac Cælestia inter mortales moderanda commissa sunt.

Hoc ipſum ab inſigni illo celeberrimæ totius Orientis Eccleſiæ Antiſtite Ioanne Alexandrino ſeruatum animaduertimus, qui, pro ſumma in Chriſti Vicarium obſeruantia, ſuum aduerſus Pelagianos Apologeticum miſit ad Gelaſium Romanum Pontificem.

Idem ex Occidentalibus, ſanctitate non minus, quàm doctrina conſpicui Præſules, ſuo docuerunt exemplo Turibius Aſtoricenſis, Cæſarius Arelatenſis, Honoratus Maſſilienſis, qui, vt ſuum in Apoſtolicam Sedem obſequium profiterentur, ea, quæ aduerſus Priſcillianiſtas, ſiue aduerſus Pelagianos conſcripſerant, ad Leonem Magnum, eiuſque Succeſſores Felicem, ac Gelaſium miſere.

Hoc ego inſtituto, & exemplis adductus (qui etiam pridem Tibi, nondum ad promeritum Petri ſolium euecto, ſacræ Congregationis Concilij Tridentini Præfecturam gerenti, ſtudia deuoueram mea) Clypeum hunc, quem contra impias, in idem Concilium vibratas ab Hæreticis, ſagittas elaboraui, ad ſanctiſſimos Tuos pedes venerabundus depono, Pater Beatiſſime.

Dexteræ erit Tuæ, potentiſſimo illum ſi-

gno

gno contra malos Dæmones communire, vt inter dira, quæ in nos mouet Hæresis, bella, eam sibi sancta Synodus verissimè securitatem comparet, quam superstitioso prorsus Ancili falsò sibi comparasse vetus Roma iactauit; Et, fugatis virtute Crucis Infernis Potestatibus, victoriam, ac pacis incrementum nanciscatur Ecclesia. Ad cuius felicitatem, ac gloriam immortalem te quàm diutissimè incolumem conseruet Deus.


Emi-

Eminentiss.mo ac Reu.mo Domino

CARDINALI
CAMILLO
PAMPHILIO

LVDOVICVS CENTOFLORENIVS.

Sempiternam Felicitatem.






ONTIFICIIS iam consecratus auspicijs nulli aptius, Eminentissime Princeps, quàm brachio pietatis Tuæ debetur is Clypeus, quem contra impia, coniecta in sacrum Tridentinum Concilium, Hæreticorum tela comparaui. Idque non eo tantùm nomine, quòd sacrosancta hæc Synodus, Patrui, nondum ad supremam Petri Cathedram euecti, patrocinium experta diù, tutelam à Nepote sibi promittat non absimilem; Verùm

etiam, quòd Tu, Germen vnicum familiæ summam claritudinem meritæ, singulari pijssimæ voluntatis exemplo, spretis sæcularis vitæ delicijs, naturali quoque Agnationis conseruandæ cura contempta, Ecclesiasticæ solicitudinis munera toto animo es complexus: & Sanctissimi Patrui vestigijs insistens, nulla re magis eximiæ Tuæ Religionis virtutem Deo commendari putas, quàm si, repulsis à regula veritatis erroribus, Euangelicæ, atque Apostolicæ Fidei propagetur, ac liberè prædicetur integritas: Vnde quicunque Romanæ aduersantur Ecclesiæ, intelligant, sacræ Purpuræ dignitatem, non ad Mundi pompas conferri, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium, & ad oppugnantium nefarios ausus comprimendos.

Hinc etiam mihi sperare licet, fore, vt non modò librum Tui splendore nominis illustrari patiaris; sed & Auctorem Tuo complectaris patrocinio, & (quod in primis opto, ac precor enixè) opus protegas, meoque sis Clypeus Clypeo. Vale, ac viue diu felicissimè.

Im-




Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij.

A. Sacratus Episc. Comacl. Vicesg.



Imprimatur.

Fr. Hyacintus Serronus Magist. & Socius R. P. F. Michaelis Mazarini S.P A.M. Ord. Præd.



PRAEFATIO AD LECTOREM.



VM, data mihi ad id facultate, Historiam legerem, aliosquè libros, qui in sacrũ Tridẽtinum Concilium ab hæretica impietate prodierunt, eò aduerteram Authorum commenta tendere, vt Orbi vniuerso palam facerent, eiusdem Concilij libertatem fuisse Romanis, quæ in singulis expectabantur, Oraculis alligatam: Aduersarijs inauditis, eorum dogmata fuisse damnata: Nullam habitam rationem, quæ ab ijs exponerentur, Scripturarum: Leges plurimas, easque per fraudes, ac dolos, fuisse latas ad continendos sub tyrannide Sacerdotum Populos: Vrbem Romam, quam contumeliosissimis afficiunt titulis, Tridentinæ Reformationi minimè fuisse obnoxiam: Re ipsa, malè cautum fuisse, de Symbolo Fidei, de Canonicis Scripturis, de Traditionibus, de Peccato Originali, de Iustificatione, de Libero Arbitrio, de Sacramentis: Item de vsu Calicis, de Missa, de Cœlibatu Sacerdotum, de Purgatorio, de Sanctorum Inuocatione,

Veneratione, ac Reliquijs: de ſacris Imaginibus, de Indulgentijs, ac de alijs certiſſimis Eccleſiæ Dogmatibus: vno verbo, non eſſe aliam credendi Regulam, nec alium Controuerſiarum Iudicem, niſi, quam ipſi ſequuntur, Scripturam: Nec veram eſſe Romanam, aut Tridentinam, ſed eam, quam comminiſcuntur ipſi, Religionem; cuius Codices obtegẽdæ veritatis cauſa prohiberi blaterant: Quæ latiùs habes expreſſa in eo, qui proximè accedit, Sagittarum Indice. In quibus omnibus quæ ijs habenda fides ſit, norunt, qui Authores, ac Magiſtros fuiſſe illis, ſciunt, Lutherum, & Caluinum, à quibus pænè vniuerſæ Antiquorum Hæreſes maxima Chriſtiani Populi pernicie reuocatæ ſunt.

Inter legendum autem, ne lectio, non adhibito ſtylo, ſomnus, ac ſomnium eſſet, primaria rerum mendacia annotaueram, flammis potiùs, quàm verbis confutanda: Quibus tamen pro mea imbecillitate reſpondere demum ſum conatus; inuicta enim veritas defendi facilè poteſt: nec Deus deeſt pro veritate certantibus.

Cum vero reſponſiones ipſas vt ederem, grauium Virorum authoritate ſim adductus, tria te præmonendum duxi, Candide Lector.

Primò, quòd ad ipſam Hiſtoriam ſpectat, ſi tamen Hiſtoriæ nomine digna eſt, in qua mille

appa-

apparent Protei facies, & inania figmenta, per ſummam impudentiam alliciendis, ac fallendis legentium animis propoſita, quæ nullius pretij metalla, ac ſcoriam eſſe deprehendes Lydij probatione lapidis, collatione ſcilicet Actorum, quæ ab exemplari ſunt, quorum teſtimonia, neutiquam ſuſpecta, quiſque debeat venerari; Quod, inquam, ſpectat ad Hiſtoriam, cum quidam in eam irent ſententiam, vt narrationi, qua veritas inficitur, reſpondendum dicerent; Alij facti iuſtitiam oſtendendam, nulla narrationis ratione habita; viam ego quaſi mediam delegi, qua cunctis ſatisfacturus, hoc facerẽ, illud non omitterẽ.

Verùm quia Hiſtoricus ille veluti Sepia, quæ ne capiatur, effuſo atramento vndas inficit, Religionis negocium ita interſerit Hiſtoriæ, vt ſenſim impios inſtillet errores, & execranda Dogmata; hæc ipſa, quæ idem fundit verborum fucis quaſi obtecta, ego ab Authoribus deſumpſi ſuis, qui apertius illa eructarunt, vt ſic etiam vna opera & eidem Hiſtorico, & alijs Concilij detractoribus reſponderem.

Leuia quæque prudens omiſi, & ea, quæ parùm refert, vtrum ſic, an aliter ſe habeant, aut quæ ſine periculo admitti poſſunt, vel etiam quæ apud Catholicos ſunt controuerſa: non enim quocunque vento circumduci me patior: imple-

rem quippe volumina, si eiusmodi prosequi vellé.

Atque hæc omnia historico malui complecti compendio, quàm scholastica tractatione, tum quia, vt Hieronymus de Hæreticorum scriptis inquit; *Hæc sunt, quæ coargutione non indigent: perfidiam exposuisse, superasse est:* tum quia meo quidem iudicio, quibus grauiores sacræ Scripturæ, Patrum, summorum Pontificum, & generalium Conciliorum authoritates, ac rationes satìs non fuerint, plura non proderunt: & quicunque veritatem amat, vel vnum Augustinum libentius audiet, quàm mille Lutheros, mille Caluinos.

Epistola 54 ad Marcellam.

Secundò, te premonitum volui, mirari Catholicos non debere, quòd Historicus eiusmodi plurima contra sacrum ipsum Tridentinum Concilium mendacia congerat, quia, sicut nos ijs insistimus Authoribus, quos Spiritus sanctus erudijt, qui nec fallitur, nec fallit, ita ille Pædagogum habuit Lutherum, primarium mẽdaciorum Architectum, quem Ioannes Deictembergius, vt alios taceam, conuincit de 874. mendacijs: Quod alicui, qui eius hominis scripta non legerit, incredibile fortasse poterit videri: & tamen vel ex hoc vno credibile fit, quòd in libro aduersùs Papatum, anno ante eius mortem edito, impudentissimè scribat (horrendum id, ac fædum, veniam ipse, qui referam, precor) Papam di-

In 2. Confutationib.

cere;

cere: *Qui non adorat ventri s mei crepitus, peccatum mortale committit*. Et ab eodem Luthero didicit, Concilia omnia paruipendere, qui sanctissima illa, & apud omnem antiquitatem celeberrima insectari ausus, de Canonibus Primi Nicæni: *Hi omnes Articuli*, inquit, *fœnum, stramen, ligna, stipulæ fuerunt*. & infra: *De illis ligneis Articulis reliquiæ manserunt quasi aliqui titiones, nempe Articulus de Festo Paschatis &c:* Et ipsummet Spiritum sanctum irridens, ait: *An nihil aliud negocij est Spiritui sancto in Concilijs, quàm vt non necessarijs, periculosis, impossibilibus legibus suos ministros obstringat, & oneret?* *De Concilijs ad Nicænum.*

Tertiò, aduertas velim, noua esse omnia, quæ ab ipso Historico opponũtur, & ab eius Magistris. E quibus Lutherus, plus fouens sub cucullo superbiæ, quàm sub Alexandri Macedonis excreuerit diademate: *Ego*, inquit, *Primus fui, cui Dominus ea, quæ vobis prædicata sunt, reuelare dignatus est*. Et Caluinus, bipedum arrogantissimus, affirmans, vnum se esse, qui plus cunctis maioribus, quot quot mille, & quingentis annis vixissent, sciret, videret, intelligeret; passim gloriatur, toti se antiquitati restitisse. *Tom. 7.* *In 2. defens. ad Vuesphalos* *In sua Instit.*

Contra quos extant clara Veritatis Oracula. *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, Maiores tuos, & dicent*. Et alibi apud Apostolum: *Deut. 32.*

1.Tim. 6. *Depositum custodi, deuitans profanas nouitates.* Quod Depositum nos humillimè profitemur, id esse, quod à Deo nobis per Ecclesiam est creditum, non quod aliqui inuenerunt: quod accepimus, non quod aliqui excogitarunt: Doctrinæ, non ingenij: publicæ Traditionis, non vsurpationis priuatæ: In quo Custodes sumus, non Authores: Sectatores, non Institutores: Quodue omnium ætatum Fideles, Confessorum millia, Martyrum exercitus, Sancti omnes, & totus terrarum Orbis, per Catholicam Fidem Christo capiti vnitus, professus semper est, ac profitetur.

Cæterum, conuicia passim neglexi, Authoribus digna suis, ijs quippe, à quibus contumelias, quàm laudes excipere, sibi Ecclesia gloriosius ducit; odisse enim malus non didicit nisi bonos. Eàque in omnibus moderatione studui respondere, quam docet Apostolorum Princeps: Christianos, nempe, quæcumq; loquãtur, ea modestia, sobrietateq; loqui debere, ac si loquerentur Dei eloquia. Si quid tamen acrius dictum exciderit, persuadeas tibi velim, Amice lector, illius me amore flagrasse, in quem aspera correctione sæuiero, & tantùm in gladio veritatis liberatorẽ hominis esse voluisse ab obsidione suorũ errorũ.

1.Petr. 4.



SAGIT-

SAGITTÆ HÆRETICORVM CONTRA S. TRIDENTINVM CONCILIVM.

I

RIDENTINI *Concilij libertatem fuisse Romanis, & quidem portentosis, quæ in singulis expectabantur, Oraculis alligatam.* Sess. j. de nchoãdo Conclio.

II

Aduersarijs Fidem Catholicam profitentibus, & opiniones suas sacra Scriptura defendentibus, idque omni humilitate, ac modestia, non auditis, eorum Dogmata fuisse damnata. Sess. ij. de de obseruandis in Conc.

III

Scripturarum, quæ ab aduersarijs exponerentur, nullã fuisse habitã rationem à Concilij Patribus, contra illud Veritatis Oraculum: Confiteor tibi Pater Domine Cæli, ac Terræ, quia abscondisti hæc à Sapientibus, & reuelasti ea Paruulis. Eadẽ Sess. & decreto

IV

Leges plurimas, easque per fraudes, ac dolos fuisse latas ad continendos sub tyrannide Sacerdotum Populos: Vrbem Romam, Cathedram, ut ipsi appellant, pestilentiæ, Satanæ Synagogam, Antichristi Solium, ac veram Babylona, & signãter Eadẽ Sess. & decreto

pra-

prauos illius mores; Beneficiorum, ac Dispensationum nundinas; & eodem momento natos, atq; assumptos Papæ Nepotes in Regum, ac Cæsarum Cognatos; Cuncta hæc non fuisse obnoxia Tridentinæ Reformationi.

V

Sess. iij. de Symbolo Fidei

Symbolo Fidei, quo Romana utitur Ecclesia, nec credendum esse, nec, ut loquuntur, discredendum.

VI

Sess. iv. de Canonicis Scripturis

Inter Canonicas infallibilis veritatis Scripturas non benè annumerari S. Iacobi Epistolam, Librũ Ecclesiastæ Libros Machabeorum, & alia à Tridentino Concilio approbata, ac relata.

VII

Eadẽ Sess. & cap.

Insignem audaciam esse maiestati, & authoritati sacræ Scripturæ æquare Traditiones.

VIII

Sess. v. de Peccato Originali

Peccatum Originale non esse nisi figmentum Papisticum.

IX

Sess. vj. de Iustif. Can. 9. & 12.

Iustificationem Impij sola niti fide credentis, se in gratiam recipi, sibique per Christum peccata dimitti.

X

Eadẽ Sess. Cap. xj.

Mandatorum obseruationem nec necessariam esse, nec possibilem.

Libe-

XI

Liberum Arbitrium rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, & figmentum à Satana inuentũ. Eadẽ Sess. Can. 2. & seqq.

XII

Humanum plane Sacramentorum inuentum septem capitibus Bestiæ Apocalypsis significari, per quam Antichristus designatur. Sess. vij de Sacramentis

XIII

Præstare Baptismum in Paruulis omittere, quàm eos baptizare sine fide. Eadẽ Sess. Can. 13

XIV

Corpus Christi, quod nouo prorsus, ac peregrino Trãsubstantiationis Dogmate Tridentina Synodus asserit, verè non esse in Eucharistia: & insaniam esse, à Dei potentia exquirere, vt faciat in ea carnem simul esse, & non esse carnem. Sess. viij Cap. 4

XV

Confessionem peccatorum esse Papisticam impietatẽ, & carnificinam, à Concilio Lateranensi constitutam: Pœnitentiam autem optimam esse nouam vitam. Sess. xiv Cap. 8

XVI

Nostrorum temporum Theologastros perperam fecisse ex Satisfactionibus partem Pœnitentiæ. Eadẽ Sess. Can. xiv

XVII

Calicis vsu Laicos superstitiosè, ac sacrilegè fraudari, contra expressam Domini institutionem in Sess. xxij super Cõcess. Calicis

ſpeciebus panis, ac vini, & contra plura Scripturæ loca, vtramque ſpeciem exigentia.

XVIII

Eadē Seſs. de Sacrificio Miſsæ c. 1. &c. Miſſam verè Sacrificium non eſſe: & gratìs dici, offerri pro peccatis, & prodeſſe viuis, ac defunctis.

XIX

Seſs. xxiij Cap. viij Cantum, ab Elia Propheta in Sacerdotibus Baal deriſum, fuiſſe ab Eccleſijs remouendum.

XX

Eadē Seſs. Cap. xiij Cælibatum peſſimè fuiſſe ſacris Ordinibus, ac Monaſticæ Profeſſioni annexum.

XXI

Seſs. xxv de Purgatorio. Purgatorium exitiale Satanæ commentum eſſe.

XXII

Eadē Seſs. de Inuocatione SS. Stultam, & inanem eſſe Sanctorum Inuocationem, ac Venerationem impiam.

XXIII

Eadē Seſs. & Cap. Idiotas, ac Mulierculas fruſtra precibus vti, quas velut Pſittaci immurmurant, quod ſonant non intelligentes: Preceſque Roſarij, ac decem granorum ſub certis numeris nugas eſſe Dominicanorum, ac Franciſcanorum.

XXIV

Eadē Seſs. & Cap. Templorum, quæ Sanctis fiunt, dedicationes, & ad illa inſtitutas Peregrinationes impietatis, & Idololatriæ peſte laborare.

Hor-

XXV

Horribile etiam auditu esse, Statuam ligneam adorari perinde ac Sanctissimam Trinitatem. Eadẽ Sess. & Cap. de Sac. Imag.

XXVI

Nouitiam esse, ac Pharisaicam Religionum institutionem: Vota impia, ac superstitiosa. Eadẽ Sess. de Regul.

XXVII

Indulgentias pias esse Fidelium fraudes, & imposturas Romanorum Pontificum. Eadẽ Sess. de Indulgentijs

XXVIII

Abstinentiam ab aliquibus cibis, ac Ieiunia certis diebus esse superstitiosa, & ex doctrina Dæmoniorum prodijsse. Eadẽ Sess. de Delectu Cib. ac Ieiunio

XXIX

Dies omnes æquales esse: & qui non peccat, festum semper habere diem. Eadẽ Sess. de Diebus festis

XXX

Non esse aliam credendi Regulam, nec alium Controuersiarum Iudicem, nisi sacram Scripturam. Eadẽ Sess. De recip. & obser. dec. Conc.

XXXI

Religionem Lutheranam, & Caluinianam, non autem Romanam, vt aiunt, ac Tridentinam, Euangelicam esse, & Catholicam, ex Codicibus, obtegendæ veritatis causa prohibitis, clarè probari. Eadẽ Sess. de Indice libror. Catechismo, &c.

SACRI CONCILII TRIDENTINI CLYPEVS CONTRA HÆRETICORVM SAGITTAS.

SAGITTA I.

Tridentini Concilij libertatem fuisse Romanis, & quidem portentosis, quæ in singulis expectabantur, Oraculis alligatam. Sess. Primâ de Inchoando Concilio

CLYPEVS.



NOVVS veluti Enceladus, è tuis prodiens latebris, quisquis Tridentini Concilij Historiam scribis, Gigantum illaturus Cælo bellum, vt fidem, & authoritatem ipsi adimas Concilio, in vniuersa rerum tuarum serie primam vibras contra illius libertatem sagittam: quippe qui non ignoras, Concilium vt Concilium de Patrum con-

sensu

ſenſu celebrandum, eoque deficiente, nullum prorſus, atque irritum eſſe: & inde præcipuè cõſenſum defeciſſe arguis, quòd Romana in ſingulis expectarentur Oracula, ex voto, vt ais, Cõgregationis Theologorum, & Canoniſtarum Romæ ad eiuſdem Concilij negocia inſtitutæ, à ſummo Pontifice ad Legatos ſuos Tridentum transmiſſa.

Quòd verò hæc tua ſagitta auras incaſſùm verberet, nec officiat veritati, non ſolùm ex eo conſtabit, quòd Romana Oracula ex his, quæ infra dicentur, fuerint Fidei conſona, & ſanctiſſima; ſed etiam ex hoc, quòd Congregatio, quã non negamus Romæ extitiſſe, licet particeps fuerit omnium, de quibus Romanus Pontifex à Concilio, vel à ſuis Legatis conſulebatur; ad ea tamen fuit inſtituta, quæ non niſi Romæ agenda, ac deliberanda erant, qualia fuerunt ea, quibus inſtrui par erat Apoſtolicos Legatos, quæ ob rerum quotidie enaſcentium diſparitatem initio tradi non potuerant: Item Citatio Lutheri ad Vrbem: Conuocatio Concilij ab Imperatore, eam ſibi depoſcente, Pontifici controuerſa: & Conuocationes deinceps factæ à Paulo III. à Iulio III. & à Pio IV. Item electio loci, vbi Concilium erat celebrandum, te ipſo referente, primò indictum Mantuæ, deinde Vicentiæ, & po-

ſtea

ſtea Tridenti: quò, ſemel, atque iterum diſtractum, ſemel, atque iterum redactum fuit: inde translatum Bononiam, ac rurſus Tridentum, donec tandem ſuſpenſum ob Mauritij Saxonis bellum, elapſo decennio, fuit in eandem Tridentinam Ciuitatem reſtitutum.

Quibus acceſſerunt cauſæ, ob quas eidem Cōcilio peragendo diuerſi Principum habiti ſunt conuentus, itidem per te relati, nempe Clementis VII. ac Caroli V. Imperatoris Bononiæ: Pauli III. ac Franciſci Primi Galliarum Regis Maſſiliæ: rurſus Pauli III. ac Caroli V. Lucæ, ac denuò in Oppido Buſſeto.

Nec defuerunt eidem Congregationi cauſæ proteſtationum, quas tu quoque refers: Primò, recuſantium Concilium à ſummo Pontifice dependens; ac ſubinde Imperatoris ſuper tranſlatione Bononiam facta: necnon Henrici II. contra ipſummet Concilium: & Gallorum contra Pium IV. atque aliæ eiuſmodi.

Ex eo tollitur præterea ſublatæ per Romanũ Pontificem libertatis fundamentum, quòd tu ipſe non negas, ſuffragia fuiſſe legitimè data, licet affirmes, ſæpius fuiſſe inter Patres actum de ſuffragijs per Nationes ferendis; idq; admiſſum non fuiſſe, quamuis non careret exemplis Conciliorum Conſtantienſis, ac Baſilienſis paulò

ante

ante celebratorum Sede vacante; quia nouum, & ignotum antiquitati visum est, ac seditionibus obnoxium: & contrarium in reliquis omnibus generalibus Concilijs, & in vltimo Lateranensi fuerat obseruatum.

Quinimmo, vt ipsemet fateris, Tridenti institutæ sunt Congregationes à Sessionibus distinctæ: Priuatæ quidem ad res, de quibus ageretur, digerendas, & ordinandas; Generales, ac publicæ, ad eas discutiendas: in quibus liberum cuique erat, sententiam dicere: & vt adhuc magìs liberum esset, Apostolici Legati proponentium tantùm vices gesserunt, nec dedere suffragia.

Ad hæc fateris, grauiora eiusdem Concilij negocia fuisse in ipso Concilio disputata, & examinata, veluti de Sacra Scriptura, de Translatione latinæ Bibliæ, de Traditionibus, de Peccato Originali, de Iustificatione, de Libero Arbitrio, de Sacramentis tàm in genere, quàm in specie, de communione Calicis, de Missa, de Matrimonio Presbyterorum, de Purgatorio, de Sanctis, ac de Indulgentijs: necnon de Hierarchia, Ecclesiastica, de titulo Concilij vniuersalem Ecclesiam repræsentantis, & de singulis grauioribus Concilij Articulis; vt tui Libri Indice consulto, ibi quisq; hæc adnotata, & in corpore expressa reperiet. Si igitur hæc omnia, te ipso fatente,

tente, fuerunt ex methodo disputata, & examinata in Concilio, falsò dicis, fuisse Romanis Oraculis definita, & per hæc ademptam Concilio libertatem.

Eòque magis id ipsum fundamentum ablatæ libertatis corruit, quòd adhuc locis eodem libro indicatis, & expressis, fateris, etiam aliqua Romæ perpensa, fuisse rursus examinata in Concilio, veluti de Residentia Episcoporum, de qua dicis, consultum Romanum Pontificem, ac deinde rem peractam, ac decretam in Concilio: de Communione sub vna tantùm specie, quam dicis pariter disputatam Romæ, ac deinde examinatam in Concilio: Ac de confirmatione ipsius Concilij, quæ pariter, vt ais, licet examinata Romæ, fuit deinde disputata in Concilio. Ex quo patet, non solùm non fuisse imminutam, sed plurimùm auctam Concilij libertatem, dum res exactius, & clarius statuenda eidem deferebatur, adeòque illi quodammodo deseruiebant Romana Oracula.

Et quod adhuc maius est, suis ipse locis fateris, Concilium plura circa Pontificis ipsius authoritatem examinasse, ac decreuisse, veluti de Dispensationibus Papalibus, de Pensionibus super Episcopatus, ac Parochiales, de Commendis Beneficiorum, de Expectatiuis, de Incom-

D pati-

patibilibus, de Pluralitate, & his ſimilibus: Item de qualitatibus eligendorum ad Epiſcopatus, necnon etiam de promouendis ad Cardinalatum. Ex quibus liquet, non ſolùm non fuiſſe circa libertatem coarctatum Concilium, ſed quaſi Pontificem ab ipſo coarctari voluiſſe.

Nec cuiquam, vel mediocriter in hiſce rebus verſato, ignotum eſt, generalium Conciliorum Patres, non modò Pontificibus abſentibus, vt hìc accidit, ſed etiam præſentibus, ante deliberationem tamen, inter diſputandum, quoties opus fuit, contradixiſſe.

Quid igitur violentiæ, quid portenti in ipſa Solis luce, in ipſo veritatis meridie ſomnias, Hæretice? An non ex his omnibus conuinceris, portentoſiſſimum potius eſſe obiectum tuum, quo pertinaci, atque impia Primæ huius Sedis abnegatione Concilium ipſum conaris euertere?
Lib.1.Ep.3. Cypriano teſte, qui ait: *Neque aliunde Hæreſes ſubortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, niſi inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur.* Illud ignorare non debes, vel ſola Apoſtolica Oracula potuiſſe errorum omnium portenta fugare, & ſilentium cunctis indicere, exemplo generalis illius Synodi, quæ primò habita fuit in Eccleſia, de qua in Actis Apoſtolicis

ſtolicis legitur ; *Cum autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos : Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus, in nobis elegit, per os meum audire Gentes Verbum Euangelij, & credere.* vbi ſubditur ; *Tacuit autem omnis multitudo.* Act. 15.

Veruntamen non eſt cur miretur prudens Lector, à te in magnum Tridentinum Concilium ex eo calumnias adornari, quòd fuerit Romanis & quidem portentoſis, vt ais, Oraculis alligatum ; Authorem enim habes Lutherum, qui etiam in Concilijs quantumuis liberis, Spiritum ſanctum irridere ſolitus fuit : & Primi illius Nicæni omnium celeberrimi Sanctiones fænum vocat, ac ſtramen.

In Præf. ad lec. lib. de Concilijs ad Nicænum in fine.



SAGITTA II.

Seß. 2. de obseruã dis in Concilio.

Aduersarijs Fidem Catholicam profitentibus, & Opiniones suas sacra Scriptura, idque omni humilitate, ac modestia, defendentibus, non auditis, eorum Dogmata fuisse damnata.

CLYPEVS,



TIPES, & cautes sit oportet, qui summam Hæreticorum malitiam non auersetur. Vrgentissimis de causis Lutherus Romam vocatus, appellauit ad Concilium: & donec credidit, à Papa non admissum iri Concilium, vt hinc pietatis, ac veræ Fidei opinionem sibi conciliaret, quòd Concilij authoritatem agnosceret, exclamare perstitit, ac palam prædicare, *à Papa Scripturam sacram in cœno, ac puluere sepeliri, & Doctrinam Christianam pænè totam deleri.* Sed statim atque Concilium à Paulo Tertio indictum audiuit, prodita, quam dissimulauerat, sententia, cœpit, Concilium improbare, ac effutire, nullam extare illius necessitatem, cum (vt demens ait,) *omnis Parochus, ac Ludimagister non minus possit in Ecclesia, quàm quodlibet magnum, ac numerosum*

lib. de Ecc.

Conci-

Concilium: Et Conciliorum ſe Iudicem faciens, ac ſupra illa conſtituens, Satanicæ ſuberbiæ hæres, inter quingentos Articulos hunc euulgauit: *Capite hoc Euangelium, quia neque Papæ, neque Concilio, neque vlli hominum commiſſum eſt, vt concludat, quid ſit Fides; ideo debeo dicere: Papa, Tu concluſiſti cum Concilijs: nunc habeo ego iudicium, an acceptare queam, necne.* Art. 115.

Cuius quidem Lutheri peſſimo exemplo adhæſerunr Eccleſiæ, & Principes, quorum proteſtatio aduerſus hoc ipſum Concilium in libro Lutheri refertur in hanc formam. *Proteſtamur, ac profitemur, nos adhærere, ac ſemper adhæſiſſe proteſtationi, & appellationi R. P. D. Lutheri ab iniuſtiſſimo, violentiſſimoquè Iudicio Pontificis, ac omnium eius Factionis Iudicum* (de Concilio Tridentino loquuntur) *ad liberum, Chriſtianum, legitimum, ac in Spiritu ſancto congregatum Concilium. Qui proceſſus* (ſequuntur eædem Eccleſiæ, ac Principes) *proteſtatio, & appellatio fuere poſtea vnanimiter, & multoties à noſtris Eccleſijs renouata, & in aliquot etiam Imperialibus Conuentibus ab omnibus Statibus comprobata.* Vno verbo, Lutherus, & eius Sectatores illud intendebant, vt Concilium, vix adhuc congregatum, diſſolueretur. Et ſic ante factum vocati, etiam ſub fide publica, & expectati, cauſas prætexuerunt

runt leuiſſimas non accedendi, ex quibus planè conuincuntur, noluiſſe accedere: & poſt factum, ſe non fuiſſe auditos conqueruntur. Cauſæ enim, ſeu prætextus non accedendi, à Melanctone in libro, quem hac de re edidit, relatæ, duæ potiſſimùm ſunt.

Primò exigebant, vt Docti omnes etiam laici (quales apud eos plerique habentur, qui inter legendum, aut ſcribendum verbum aliquod Græcum, aut Hebraicum Latinis interſerunt) haberent votum deciſiuum in Concilio. Quod omni prorſus exemplo caret, & in Eccleſia Dei eſt inauditum.

Secundò, vt daretur commeatus, quem Saluum conductum vocant, etiam ab Imperatore, non perſonæ dumtaxat, ſed etiam cauſæ, hoc eſt, vt nec perſona poſſet puniri, ſi parere recuſaſſet, nec Fides, aut Confeſſio damnari, ſi in probatione defeciſſet. Ex quo fallax, & illuſorius fuiſſet omnis acceſſus.

Ne verò alicuius momenti eſſe credas, quòd ijdem Proteſtantes Fidem Catholicam profiteri ſe affirmarent, memineris, familiare hoc Hæreticis ſemper fuiſſe, cum eis ſic expedit, ſe Catholicos ſimulare, & aſſerere inter Hæreticos & Catholicos differentiam Dogmatum nullam eſſe, ſed ſolam verborum concertationem.

Ita

Ita ex Historia Tripartita peregit Eudoxius Arianus, cum Fœdere inter Valentem Imperatorem, & Gothos inito, idem Imperator ad Fœdus firmandum concordiam Dogmatum requirebat: vbi etiam habetur, Arium ipsum, postulante Imperatore, an vellet Nicæni obseruare decreta Concilij, confestim, accepto calamo, se illis subscripsisse; eodemque Imperatore requirente, vt ea iuraret, iurasse, se credere vti scripserat. Quod deinde in suis Conuentibus exposuit, se de pagina suæ Sectæ intellexisse, quam gerebat in sinu.

li.8.ca.13

li.3.ca.10

Multa præterea de concinnatis Hæreticorum obscuritatibus referuntur ab Irenæo. Et Sanctus Hieronymus: *Si Hæretici*, inquit, *vrgeri cæperint, aut subscribendum eis fuerit, aut exeundum ab Ecclesia, miras strophas videas: sic verba temperant, sic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinunt, vt nostram, & Aduersariorum quoque Confessionem teneant, & aliter Hæreticus, aliter Catholicus audiat.*

Con Hæres cap. 5.

Apol. con. Grig. Epist. 32.

Minus roboris esse putandum est in eo, quòd opiniones illi suas sacræ Scripturæ authoritate tueantur; In hoc enim Magistrum sequuntur Satanam: qui, Domino in pinnaculum Templi assumpto, cum dixisset: *si Filius Dei es, mitte te deorsum*, ne videretur hoc tentando dixisse, statim

Matth. 4.

tim ſubdidit : *Scriptum eſt enim : Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te, &c.* Sic graueolentias ipſi ſuas Cæleſtis Eloquij aromate reſpergunt, ne quis facilè, deprehenſis erroribus, fœtidam eorum doctrinam refugiat : Pocula melle circumlinunt, vt incauti veluti pueri dulcedinem præſentientes, amaritudinem non reformident : Noxios ſuccos vocabulis medicaminum præcolorant, vt qui inſcriptum antidotum legerit, de veneno nihil ſuſpicetur : ſub Diuinæ Legis vmbraculis latitant, vt magis noceant : Diuinorum Verborum prætendunt authoritatem, vbi nefarij erroris ſubinducunt fraudolentiam : Et Lupinam ſpeciem, quam gerunt, ſacræ Scripturæ Sententijs, veluti immaculati Agni velleribus, obuoluunt, vt cum quis lanarum mollitiem ſenſerit, nequaquam dentium rabiem pertimeſcat.

Ac denique ementitam eſſe cenſendum eſt, quam prætexunt, humilitatem, ac modeſtiam; eamque ſolo ambitionis aſtù ab illis oſtentari, euincitur, non tantum ex Auguſtino, affirmante, Omnium Hæreticorum Matrem eſſe ſuperbiam, ſed etiam exemplis ipſis; Etenim Arius multa contra Chriſti Fidem diſſeminauit ob ſolam gloriæ, ac laudis, & impiæ nouitatis ſitim : Apollinaris id ipſum egit, quòd in eiuſmodi diſ-

In Gen. con Manich. lib 2 cap 8

pu-

putationibus ſibi triumphare videretur: Aetius contendit, Sacerdotem ſolo nomine differre ab Epiſcopo, quia Epiſcopatum, quem ambierat, aſſequi non valuit: Valentinus ob id ipſum hæreſim ſibi confinxit contra Chriſti humanitatem; Nouatus, quòd in Epiſcopatu repulſam acceperat ab Eccleſia, ad Epiſcopatum cooptari contra Eccleſiam voluit. Et, ſi clariora de hoc requiras argumenta, dabit ab Arianis conturbatus Oriens, Græcia à Macedonianis, Africa à Donatiſtis, ac Circumcellionibus; ab Iconomachis, ac Albigenſibus Imperium Romanum, ab Huſſitis Bohemia; Anglia, Gallia, Belgium, Polonia à Caluiniſtis; à Lutheranis Germania; & innumeris pænè malis, ſupremiſque calamitatibus ab his ſæpè exagitatus Orbis propemodum vniuerſus.

Superbiſſimam autem fuiſſe Lutheri præcipuè, & Caluini humilitatem, ex ipſorum ſcriptis recognoſce; ex quibus, vt hìc aliquid innuamus, de eis paſſim dicturi, Lutherus in libro ad Ducem Georgium, ait; *A tempore Apoſtolorum nullus Doctor, aut Scriptor, nullus Theologus, aut Iuriſconſultus tam inſigniter, & clarè conſcientias ſecularium Statuum confirmauit, inſtruxit, & conſolatus eſt, ſicut ego feci. Per ſingularem Dei gratiam hoc certò ſcio, quoniam neque Augu-*

stinus, neque Ambrosius, qui tamen in hac re optimi sunt, mihi in hoc æquales sunt. Ac rursus in Sermone de Euersione Hierusalem: *Tam copiosè, inquit, prædicatum est à nobis Euangelium, vt ne Apostolorum quidem tempore tàm clarum fuerit.* Et Caluinus, Prateolo referente, ausus fuit prædicare, Patres nostros, Idolorum cultores, delusos, obcæcatos fuisse: se verò vnum Christi cultum, quodam Diuino Spiritu, cognouisse: nostros Episcopos impostores, cacodæmones, Antichristos, & sceleratorum Duces hactenus extitisse: suos verò Christi Nuncios, & Doctores fore. Hæc vesani illi, risu, an fletu digni?

Quales autem fuerint eiusmodi homines, seu verius hominum monstra, si insigni aliquo illorum temporum testimonio nosse velis, intellige, quàm digno describat elogio Lutherum, gloriosissimæ memoriæ Carolus V. Imperator: *In dipl.* *Fuit iste Lutherus non tàm homo, quàm Diabolus sub humana specie latens, qui, assumpto Monastico cucullo, varias olim damnatas hæreses, lapsu temporis sepultas, in vnam sentinam congessit, eisque nouas adiecit: qui quàm diligentissimè Fidem suis inculcat non alio prætextu, quàm vt germanam Fidem subuertat.* Et in Epistola ad Ordines Imperij propria manu scripta

ſcripta 19. Aprilis 1521. coram ipſis Imperij Ordinibus Vuormatiæ primùm lecta, deinde Maij die 10. Romæ in publico Conſiſtorio coram Cardinalibus, iubente Pontifice Leone, ſumma zeli, ac Religionis commendatione recitata, conſtantiſſimè profeſſus eſt, ſe velle Regna ſua omnia, Imperium, Ditiones, Amicos, corpus, ſanguinẽ, vitam denique ipſam, & animam impendere, ne impius illius conatus longiùs progrederetur. Et Henricus Secundus Galliæ Rex, poſt indictam, & habitam ſolemnem, ac publicam ad Deum, Sanctoſque omnes Supplicationem, Franciſci pijſſimi Genitoris exemplo, Catholicè, & vt decebat Regem Chriſtianiſſimum, ſcripto Typis excuſo, palàm declarauit; *Se ex animo deteſtari illorum temporum Hæreticos, & hæreſes partim è cineribus excitatas, partim recens à Luthero inuentas, Carolostadio, Zuinglio, Oecolampadio, Melancthone, Bucero, Caluino, & id genus alijs Hæreſiarchis, hominibus monſtroſis, & peſtilentibus: quas etiam velle ſe,* ait, *è ſuis Ditionibus ſtirpitùs euellere, & in reos grauiſſimè vindicare.*

Quid plura? Quales illi fuerint, qui ſe Catholicos profeſſi, ſua Dogmata, ſe non auditis, damnata conqueruntur, audi, & diſce vel ex ipſorum teſtimonio; Etenim Caluinus in vltima

admonitione ad Ioachimum Vuesphalum de Luthero hæc habet: *Plurimos esse Lutheri erroribus ita fascinatos, vt, quod pueris in Catechismo traditur, veterani Theologi non teneant: ne guttam quidem ingenui pudoris in eis esse: nimis largam ab illis copiam cauillationum profluere, dum Lutheri sui hyperbolas proijciunt, modo Plebeculam, suosque fraterculos fascinent, popularis theatri plausu contentos: nec Dei iudicium curare. Tribuit illis furiosum impetum, nugatoriam leuitatem, cæcam temulentiam, caninam improbitatem, diabolicam superbiam: quòd eis Superbia sit loco pietatis: quòd eos ferocitas omni humanitate spoliauerit: quòd obstinatio nil moderaminis reliquum fecerit: Vocat eos vertiginosos homines, Cyclopes, superbam factionem Gigantum, Latratores, Phræneticos, Bestias, Proteruos, Fastuosos, Pertinaces, &c:* Idem verò Caluinus, ne Lutheri de Caluinistis attestationem alibi perquireremus, ibidem fatetur, & conqueritur, *Lutheranos de Caluinistis clamitare, se, suosque indignos esse, quos terra sustineat, ita, vt nisi repente exterminentur è mundo, non posse cum eis meliùs agi, quàm vt ad Scythas, vel Indos ablegentur.* Et quales hìc Lutheranos, & Caluinistas depictos habes, tales fuere reliqui omnes ex Lutheri Schola, tanquam ex Equo Troiano,

(quod

(quòd ad fraudem ſpectat) profecti, qui per præcipitia falſitatis ruunt in omne genus flagitiorum.

Ex quibus luce meridiana clariùs apparet, Proteſtantes ſolitos (quod de Hæreticis omnibus aiebat Cyprianus) mendacijs ſemper fallere, ex ſola ſua culpa, & contumacia non fuiſſe auditos à S. Synodo: Quæ etiam, vt infra in pluribus demonſtrabimus, execranda illorum Dogmata ſanctiſſimè, ac iuſtiſſimè condemnauit. lib. 1. Ep. 3



SAGITTA III.

Seff. 3. de obseruādis in Concilio.

Scripturarum, quæ ab Aduersarijs exponerentur, nullam fuisse habitam rationem à Concilij Patribus, contra illud Veritatis Oraculum: Confiteor tibi Pater Domine Cæli, & Terræ, quia abscondisti hæc à Sapientibus, & reuelasti ea Paruulis.

CLYPEVS.



EN Humilitas, qua hìc Hæretici se se connumerantes inter Paruulos, Giganteo planè ausu, expositionem sibi arrogant S. Scripturæ, & reuelationem mysteriorum Dei: & Scripturarum, quæ ab ipsis exponerentur, nullam fuisse habitam rationem à Concilij Patribus, conqueruntur: tantoquè fastu id præsumunt, vt Lutherus, Sectariorum omniũ nostri temporis Antesignanus, ea de re agens, in Epistola ad Ducem Saxoniæ Georgium, dixerit, *Si scirem, Pontificios omnes in vnũ conflatos vel vnum caput Scripturæ Diuinæ rectè posse vertere germanicè, libenter eorum opem implorarem ad transferendum nouũ Testamentum.* Et sua proponens

nens argumenta (tanquam fila aranearum dissoluenda) quod planè ridiculum est: *Adeste* inquit, *Adeste hìc omnes Papistæ in vnum: Conflate studia vestra omnia in vnum, si forte possitis hoc vinculum dissoluere*, & infrà: *Hanc ratiunculam neque soluunt, neque soluent vnquam omnes Papistæ in vnum Chaos confusi.* Aitque, *Pontifices non esse dignos, qui sui soluant corrigiam calceamenti.* *In Assert. Artic. 25.* *con. statum eccles.*

Nec inferior fuit Caluini humilitas, de se frequentissimè pro concione dicentis; *Ego Propheta Dei sum, Ego Dei Spiritum habeo*: Et iactantis, *Apud Papistas Euangelium sub scamno delituisse: & se illud inde produxisse in lucem.* *In Vita*

In quo vterque plurimos habuit imitatores, qui cum linguas vtcunque callerent, iam se putarunt etiam in rebus Theologicis plus videre, quàm vel omnes videant Catholicorum Scholæ, immo Ecclesia vniuersa.

Quòd autem Hæreticarum expositionum ratio à Concilij Patribus habenda non fuerit, non solùm ex eo patet, quòd Diuinarum Scripturarum expositio ad solam spectat Ecclesiam; vnde Augustinus: *Sicut Diuina Scriptura demonstrat Ecclesiam, ita Ecclesia Diuinam Scripturam interpretatur.* S. Paulus, qui non ab ho- *Con. cresc. li. 1. ca. 33* *Gal. 1.*

mine

mine, sed à Deo, vt ait, accepit Euangelium, tamen Hierosolymam se ascendisse dicit, vt illud conferret cum Apostolis: & ex his, quæ
2. Petr. 1. fecerat, alios docens, ait: *Etsi Angelus de Cælo Euangelizet vobis, præter id, quod euangelizauimus vobis, Anathema sit.* Quod docuit etiam Petrus Apostolorum Princeps, dicens: *Hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ, propria interpretatione non fit.* Non solùm, inquàm, ex hoc patet, sed etiam ex eo, quòd ad hanc expositionem minimè omnium apti sunt Hæretici, ex his, quæ tradit Dionysius,
par. 1. ca. 2 De Ecclesiastica Hierarchia, vbi ait: *Diuina non capit, qui Dei mandata non seruat:* Et quia,
epist. ad Ma2ica. de vit. solit. vt aduertit Basilius, *Quemadmodum in cera quis scribere non potest, nisi characteres antea impressos deleuerit, sic Diuina Dogmata degustare nemo valet, nisi corruptos ex anima mores extraxerit.* Accidit enim ijs, quod de Philosophis tradit Origenes, qui cum suam ipsorum, quam sectabantur, Philosophiam introducere in Ecclesiam conati essent, polluerunt ipsam, non habentem maculam, neque rugam; vt meritò di-
In Iosu. Hom. 7. xerit Tertullianus, Philosophos extitisse Patriarchas Hæreticorũ. Vnde etiã Gregorius Nazianzenus, *Non cuiusuis est de Deo disputare: non adeo*
de Herm. *hæc res est vilis, & eorum, qui etiamnum humi*
ser

ſerpentes terrenis ſtudijs occupantur ; quoniam eorum tantùm eſt, qui inter multos, habito delectu, ad tantum munus videantur idonei : quì contemplandi acumine cæteris antecellant, & (quod longiſſimè abeſt ab Aduerſarijs noſtris) *iam ante & corpus & animam ab affectuum ſordibus purgarint :* Siquidem, vt ad rem ponderat Auguſtinus; *Accedens ad tractationem librorum ſacrorum, debet omnem intellectum referre ad charitatem de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* Proinde Iuſtinus Martyr, *At tu*, inquit, *votis, & precibus tibi ante omnia lucis portas aperiri opta ; neque enim ab aliquibus perſpiciuntur, atque intelliguntur, præter quàm, ſi cui Deus, & Chriſtus eius conceſſerit intelligentiam.* Et plerique tradunt, Diuinæ Scripturæ momenta non in legendo, ſed in intelligendo poſita : & ex Scriptura malè intellecta ortas eſſe omnes hæreſes. Quod agnouit & ipſe Lutherus, qui propterea aliquando faſſus eſt, Scripturam eſſe librum Hæreticorum. Præſertim, quia eadem Scriptura duplicem habet ſenſum, nempe Litteralem, quem verba per ſe ferunt; & Spiritalem, qui aliò refertur, præter id, quod verba ſignificant : quos ſenſus indicatos tradit Hieronymus per librum ſcriptum intus, & foris in Apocalypſi, & in Ezechiele. Et ſicut ſenſus Litteralis diuiditur in Simplicem, qui eſt

lib. 1. ſuæ Theo logiæ.

lib. 2. cā. 40 de Doc. Ch.

Cap. 5. cap. 2.

Capi 5. Cap. 2.

in proprietate verborum; & Figuratum, quo verba transferuntur à naturali significatione ad alienam; (de qua diuisione plura Augustinus in libro de Doctrina Christiana (ita Spiritalis diuiditur in Allegoricum, cùm verba Scripturæ veteris præter litteralem sensum ad aliquid deducuntur in nouo Testamento, quod ad Christum, & Ecclesiam pertineat; Tropologicum, cum verba, aut facta ad aliquid referuntur, quod mores respiciat; & Anagogicum, cùm eadem ad vitam æternam referuntur: Qui Spiritales sensus, etsi à veteribus, quòd ad rem attinet, agnoscuntur, omnes tamen Mystici appellantur.

Lib. 3.

Sunt autem iidem sensus intellectu adeò difficiles, vt de Sacra Scriptura Augustinus dicat, *omnibus accessibilem esse, paucissimis penetrabilem*: Quippe quia, vt optimè Gregorius ponderat; *Multa in S. Scriptura ita aperta sunt, vt pascant Paruulos: Quædam verò obscurioribus sententijs, vt exerceant Fortes, quatenus cum labore intellecta, plus grata sint: Nonnulla autem in ea ita clausa sunt, vt dum ea non intelligimus, agnoscentes infirma nostræ cæcitatis, ad humilitatem magis, quàm ad intelligentiam proficiamus.* Vnde alibi idem Augustinus; *Tanta*, inquit, *est Christianarum profunditas Litterarũ, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte ætate*

In Pref. Ep ad Volus.

In Exech. Hom. 17.

Ep. 2. de Volus.

vsque

vsque ad decrepitam senectutem maximo ocio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere: Et Chrysostomus dicit, *nec syllabam, nec apiculum esse in Sacris Litteris, in cuius profundo non sit grandis quispiam thesaurus.*

Quàm verò in hoc arrogans sit Hæreticorum præsumptio, argue etiam ex Valentiniani Imperatoris modestia, qui ab Episcopis Hellesponti Bithyniæ rogatus, vt Synodo pro emendatione Dogmatis celebrandæ interesset, insigni prorsus exemplo, *Mihi quidem*, respondit, *cum vnus de Populo sim, fas non est, talia perscrutari; sed vobis Sacerdotibus hæc cura commissa est.*

Et si adhuc ex aliqua saltem Hæreticorum expositione nosse desideres illorum arrogantiam, ex hac vna Magistri Lutheri disce omnes: Is enim textum illum Apostoli; *Arbitramur, hominem iustificari per fidem*, deprauauit, addita voce *Solam*, ad suum præcipuum axioma probandum, *Fidem* scilicèt *solam iustificare:* & ea de re à Catholicis reprehensus, & ab Amico admonitus, respondit, se ita velle, ita præcipere, his verbis: *Si tuus Papista morosum se, ac difficilem præbere volet de voce, sola, statim dic; Papista, & Asinus eadem res est. Sic volo, sic iubeo: sit pro ratione voluntas: nolumus enim Papistarum esse Discipuli, sed Præceptores: semel*


enim superbiendo gloriabimur aduersus huiusmodi Asinos. & infrà; *Rogo te, ne quid aliud huiusmodi Asellis respondeas de voce, sola, sed tantùm dic; Lutherus sic vult: ille Doctor est omnium Doctorum in Papatu.*

Neque his omnibus refragantur verba, per quæ & Lutherus, & eius Sectatores arbitrantur, Deum etiam hodie Paruulis reuelare, quæ Sapientibus abſcondit, exemplo Aetij, qui auſus fuit affirmare, Deum ſibi plura reuelaſſe, quæ abſconderat Apoſtolis; & Montani, qui pari illuſione, ſe vocauit Paraclitum, & contendit, Priſcam, & Maximillam fuiſſe Sibyllas. Quia, præterquam quod verba prædicta; *Et reuelasti ea Paruulis*, intelligenda ſunt de humilibus, quibuſcum Deus libentiſſimè colloquitur, & apud quos myſteriorum ſuorum arcana deponit; Vnde Sapiens; *Vbi Humilitas, ibi Sapientia*; Et ex Pſal. miſta, in conuallibus, quæ humiles ſunt, emittit gratiæ ſuæ fontes Deus; Nos non negamus, Deum poſſe cuicũque ſua Myſteria aperire, ſed dicimus, re ipſa, & ex more hoc non facere, iuxta illud; *Quis tribuat, vt omnis Populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum?* & alibi; *Non omnibus, ſed vobis* (ſcilicet meis Diſcipulis) *datum eſt, noſſe Myſterium Regni Dei: cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.*

Hist. Trip. cap. 42.
Hist. Eccles. lib. 5. ca 4.
Prou. 11.
Psal. 103.
Num. 11.

gant. Ad quod ipsum S. Paulus, *Si omnia essent vnũ membrum, vbi corpus? membra autem non eundem actum habent; alia est enim oculi, alia pedis, alia manus operatio.* 1. Cor. 12.

Immeritò igitur S. Synodi Aduersarij conqueruntur, eiusdem Synodi Patres nullam habuisse rationem Hæreticarum S. Scripturæ Interpretationum: & vi veritatis coguntur fateri, quamcunque particularem expositionem esse illi postponendam, quam Ecclesia proponit vniuerso Orbi.



SAGITTA IIII.

Sess. 2. de Obseruãdij in Concilio.

Leges plurimas, easquè per fraudes, ac dolos, fuisse latas ad continendos sub Tyrannide Sacerdotum Populos: Vrbem Romam, Cathedram, vt ipsi appellant, pestilentiæ, Satanæ Synagogam, Antichristi solium, ac veram Babylona; & signanter prauos illius mores; Beneficiorum, ac Dispensationum nundinas; & eodem momento natos, atque assumptos Papæ Nepotes in Regum, ac Cæsarum Cognatos; Cuncta hæc non fuisse obnoxia Tridentinæ Reformationi.

CLYPEVS,



Rægrandi supercilio in prima Obiecti parte multiplicitatẽ Legum carpis, Hæretice, in secunda defectum. In hac quidem loqueris ex abundantia cordis: In illa verò Magistro adhæres Luthero, qui, vt ex Actis illorum temporum legimus, omnia Iuris Pontificij Volumina Vuittembergæ palàm incendit: & volens plurimos ad rebellionem concitare, cœpit docere: *Nullam legem* (sunt eius verba) *siue ab homine, siue ab Angelis vllo iure*

In lib. de Captiuitate Babylon.

imponi

imponi posse, nisi quantum quisque velit. Et infra; *Nullum hominem habere ius vnius syllabæ constituendæ super Christianum hominem, nisi id fiat de eiusdem consensu: quicquid aliter fieret, tyrannico spiritu fieri*. Hi sunt Hæreticorum sensus; qui soluti religione, Imperia pati non possunt.

At in vtroque casu mentiri facilè conuinceris; Nam Aristoteles in Politicis ostendit, *si Leges imperent, Deum ipsum imperare cum legibus: si imperet homo*, ex arbitrio scilicet suo, *imperare simul & belluam*. Atque Alibi *optimas*, asserit *esse leges, quæ paucissima Iudicis arbitrio relinquant*. Quod si ita est, multiplicitate Legum Tyrannis excludetur potiùs, quàm inducetur; cum in decisis arbitrium tollatur. Ex altera verò parte, cum Roma, non apud Antipodas, aut si qua est Orbis ora remotior, sed in media assurgat Italia, nec vllum habeat exemptionis priuilegium, non possent subesse Sacerdotum tyrannidi reliquæ Vrbes, quin etiam Roma subesset.

3. Polit. cap. vlt.

P. Rhetor.

Et nihilominus, quòd spectat ad rabiosa, quæ in hanc Vrbem congeris, maledicta: Tu quidem Romam vocas, *Pestilentiæ Cathedram*. At Augustinus affirmat; *in Romana Ecclesia viguisse semper Apostolicæ Cathedræ Principatum*. Et Hieronymus, ex hoc potissimùm Romam laudans, quòd in Fide errare non possit: *Scito*, inquit,

Ep. 162.

Apol. con. Rufinum lib. 5.

quit) *Romanam Fidem, Apostolica voce laudatam, eiusmodi præstigias non admittere, etiam si Angelus aliter annunciet, quàm semel prædicatum est, Pauli authoritate munitam, non posse mutari.*

Cui quidem veritati adstipulatus quondam ipsemet Lutherus, cùm adhùc sanæ mentis esset, protestatus est (quod in Actis eius temporis habetur) coràm Apostolico Legato, & quatuor Proceribus à Consilijs Cæsaris, in hæc verba: *Ego Frater Martinus Luther Augustinianus protestor, me colere, & sequi Sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis, & factis, præsentibus, præteritis, & futuris. Quod si quid contra, vel aliter dictum fuerit, pro non dicto haberi, & habere volo.*

Nec aduertis, veram pestilentiæ Cathedram eam esse, quæ Euangelij prætextu (Ita enim plerunquè, qui pessimi omnium sunt, honestissima vocabula suis obtexunt impietatibus) Spiritu non Sancto, sed Satanæ, quæ sunt in Fide Catholica certissima, oppugnare contendit.

Tu Romam vocas, *Satanæ Synagogam*. At Augustinus Fontem vocat, & caput omnium Ecclesiarum. Et Magnus Leo, *Beatissimus*, inquit, *Petrus, Princeps Apostolici Ordinis, ad Arcem Romani destinatur Imperij, vt Lex veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficacius*

Ep. 91. ad Conc. Cat.

Serm. 1. de Natal. ss. Petri & Pauli.

se ab ipso capite per totum Mundi corpus effundere.

Nec vides, eam verè Satanæ Synagogam esse, in qua prædicta à Daniele abominatio desolationis loco Christianæ Religionis inuecta conspicitur: & quæ, præter cætera, quibus à vera Ecclesia distinguitur, non habet nisi ex temeritate assumptos Episcopos: de quibus S. Cyprianus: *Ij sunt*, inquit, *qui se vltrò apud temerarios Conuenas sine Diuina dispositione præficiunt: Qui se Præpositos sine vlla Ordinationis lege constituunt: Qui, nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt.* lib. de simplic. Prælat.

Tu Romam vocas *Antichristi Solium*. At Augustinus de huius Romanæ Vrbis, ac Romani Pontificis Solio, enumeratis quadraginta, qui ante sua tempora fuerant, Romanis Pontificibus, sic profitetur: *Tenet me in Ecclesia ab sede Petri Apostoli, cui pascendas Oues suas Dominus commendauit, vsquè ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Et ipsemet Lutherus ad Leonem Pontificem in hoc Solio sedentem olìm scribens, sic profitebatur: *Quarè Beatissime Pater, prostratum me pedibus tuæ Beatitudinis offero cum omnibus, quæ sum, & habeo: Viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba, vt placuerit: Vocem tuam vocem Christi in te præsidentis, &*

loquentis, agnoscam.

Nec fateberis, istam, quam postmodùm erexerunt Lutherus, Caluinus, atque alij alumni Satanæ, Synagogam, verè esse Antichristi Solium? Scilicèt ita omninò est iuxtà Hieronymi regulam: *sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, vt puta Marcionistas, Valentinianos, Montenses, siue Campenses, scito, non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam.*

Cæterùm si, quod Romam Babylona vocas, probasse te putes ex ipso Apostolorum Principe, in prima, quam hinc scripsit, Epistola, vbi; *Salutat*, inquit, *vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta*; Et ex Ioanne, qui de illa ait; *Cecidit Babylon magna, & facta est habitatio Demoniorum*; Et infrà; *Exite de illa Popule meus, & ne participes sitis delictorum eius*; In harum Scripturarum intellectu, vt teneas, quàm scitè fallaris, aduertenda tibi sunt verba Sancti Petri, (vbi etiam Romam *purpuratam Meretricem* vocat) quæ, Tertulliano, & Hieronymo Interpretibus, non de Roma, Christiana post Apostolicam prædicationem effecta, loquuntur, sed de Roma tunc Ethnica, Idola colente, & Christianos persequente, siquidem quemadmodùm vera Babylon caput Imperij fuerat, & Regem habuerat

Prima Petri. 5.

Apoc. 18.

Lib. 1. contra Marcionem Ep. 17. ad Marcellam.

Na-

Nabuchodonosor, qui Populum Dei persequebatur, & in captiuitatem adducebat; Ita Roma quoquè tempore Apostolorum caput erat Imperij, & Imperatorem habebat Neronem, qui Dei Ecclesiam crudelissimè insectabatur. Et quod prædixit Ioannes de illius casu, hinc propè factum vidimus, quòd Gothi, Vuandali, Hunni, Longobardi Romanæ Vrbis Imperium ferè ad nihilum redegerunt, cum nondum Christiana Fides vniuersim vigeret. Quòd item vocauerit eam *Habitationem Dęmoniorum*, ex eo factum credimus, quòd, vt inquit S. Leo, *Cum pęnè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus.* Quòd demum dixerit: *Exite de ea Popule meus:* Augustino Interprete, intelligitur de exitu cordis, non corporis. Vnde re ipsa Christiani de Vrbe non exiuerunt. Et ipsemet S. Ioannes satìs expressit, Christianos cum Ethnicis, & Idololatris in eadem Vrbe esse potuisse; sed ita, vt cum eis minimè coniungerentur vitæ, ac morum similitudine. Idque adeò verum est, vt de Roma, deinde Christiana effecta, Hieronymus dicat: *Est quidem ibi sancta Ecclesia: sunt trophea Apostolorum, ac Martyrum: Est Christi vera confessio: Est ab Apostolis prędicata Fides: Et, Gentilitate calcata, in sublime quotidie se erigens nomen Christianum.*

Serm. 1. de Natal. Apostolorũ.

Collatio. 3

Epist. ad Marcellã.

Hoc verò, quod de Babylone obiectas; in tuum Conuentum militare, & aptari congruentiùs, ex eo recognosce, quòd is non modò certiora quæque Dogmata impugnet, sed omnia Ecclesiasticam disciplinam præseferentia aspernetur, & execretur quasi superstitiones Iudaicas: spolietquè Iurisdictione Magistratus, Magistratibus Vrbes, Vrbibus genus humanum: & regimen ad eam normam reuocet, quæ non illius tantùm statui, sed vniuerso, si reciperetur, Orbi supremum exitium compararet.

Et si in his omnibus solum velis audire Lutherum, lege, quæ ille tùm germanicè scripsit in Anabaptistas de anno 1528. Vbi fatetur: *In Papatu multa esse bona, immò omnia Christiana bona, atque inde ad ipsos profluxisse.* Subditquè: *In Papatu esse veram Scripturam Sacram, verum Baptismum, verum Sacramentum Altaris, veras Claues ad peccata remittenda, verum Verbi ministerium, verum Catechismum.*

Quòd autem spectat ad mores: Nos quidem non contendimus, Romam esse omninò incorruptam; exsors enim omnis culpæ sola illa est Aula, & Vrbs, quæ triumphat in Cœlo; Sed qui festucam vides in oculis nostris, nec trabem in tuis, ac tuorum vides, hæc oportet tibi perpendenda proponas, Primò, hanc Ciuitatem,

sicut

ſicut reliquas, Apoſtolo ità comparante, eſſe veluti magnam domum, in qua ſunt vaſa aurea, & argentea, & lìgnea, & fictilia. Secundò, Nationum omnium, quæ hùc diuertunt, eſſe lubricos mores: gregeſquè haberi famulorum infimæ conditionis, quos diſciplinæ ſubijcere difficillimum ſit. Tertiò, qui adminiſtrant, aliqua permittere, non quaſi approbantes, ſed quaſi illa, vt varij ſunt euentus, non ſemper ex ſententia valentes dirigere. 2. Tim. 2.

Et quia hac morum prauitate offenderis etiam in Prælatis, etiam in Summis Pontificibus: non te prætereat, eos quoque homines eſſe, infirmitate circundatos, lutea vaſa portantes, theſaurum geſtantes in vaſis fictilibus; Vnde Spiritus Sanctus etiàm in Angelis ſuis (quod multi de ſeptem Aſiæ Epiſcopis exponunt) reperit prauitatem. Nec propterea eos Prælatos non eſſe exiſtimandum eſt, aut minimè illis obediendum, dicente Domino: *Omnia ergo quęcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite, ſecundùm opera verò eorum nolite facere*. Et quod præcipuè ſpectat ad Summum Pontificem, memineris, Fideles omnes non ideò pedes illi oſculari, quia ſemper Sanctus ſit, & peccati expers, ſed quia Chriſti Vicarius: & quia, vt ait S. Bernardus, quē ipſemet Caluinus Sanctum fatetur, *Eſt Sacerdos Magnus, Princeps* Iob. cap. 4. Matth. 23 Lib. 1. de conſid. Inſt. lib. 4. cap. 27. §. 22.

Epiſ-

Episcoporum, Hęres Apostolorum, Primatu Abel, Gubernatione Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, Dignitate Aaron, Authoritate Moyses, Iudicatu Samuel, Potestate Petrus, Vnctione Christus.

His adde, quòd plerique Patrum docent, Religionem, & Ecclesiam etiam cum morum deprauatione consistere, vt saltem hinc fatearis, nihil hoc ad iustitiam decretorum S. Synodi, nihil ad Fidei nostræ Dogmata impugnanda conferre; Etenim S. Chrysostomus: *Nec ex perfectis*, inquit, *vniuersa constat Ecclesia, sed habet eos etiam, qui otio, & socordię se dedunt, mollemque, & dissolutam vitam amplectuntur, & libenter seruiunt voluptatibus*. Et S. Hieronymus: *Arca Noę Ecclesię typus fuit: Vt in illa omnium animalium genera, ita & in hac vniuersarum & gentium, & morum homines sunt: Vt ibi Pardus, & Hędi, Lupus, & Agni, ita & hìc iusti, & peccatores*: Et *Paucorum culpa non pręiudicat Religioni, sicut Iudę proditio Apostolorum Fidei non detraxit.* Proinde S. Fulgentius: *Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, Aream Domini esse Catholicam Ecclesiam, & intra eam vsque in finem sæculi frumento mixtas paleas contineri.* Et S. Cyprianus: *Impediri non debet aut Fides, aut Charitas nostra,*

In Psal. 39

In Dial. contra Luciferianos.

Lib. de fide ad Petr. cap. 43.

Lib. 3. Ep. 3. ad Maximum.

vt

vt, quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus.

Ad hæc, quòd spectat ad assertas *Beneficiorum, ac Dispensationum nundinas*; Annatas, quas vocant, quibus præcipuè detrahis, plerique & Theologi, & Canonistæ antiquis Decimis esse subrogatas docent ob illarum exactionis difficultatem, vt ex his idem Pontifex sustentetur, sicut reliqui omnes, curam gerentes, sustentantur ex Decimis Parochialibus, iuxtà illud Apostoli: *Nescitis quoniam, qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt: Qui Altari seruiunt, cum Altari participant?* siquidèm qui ad onus eligitur, repelli non debet à mercede. Vnde idem Apostolus: *Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Et Taxas, vt vocantur, matrimonialium dispensationum, vel hoc vno iustè fieri, atque imponi tradunt, vt consanguineorum, & affinium connubia ineantur quàm rarissimè.

1. Cor. 9.

Ibidem

Quod denique obijcis de Papæ Nepotibus: Illorum promotione grauari non debes: nam si cæteris meritò pares inueniantur, exigit consanguinitatis, & affinitatis vinculum, & naturæ charitas, vt præferantur. Præsertim quia Magni Principes, Regum Oratores, grauissimi

Præ-

Præſules,&Magnates,qui dùm de ſerijs negocijs non ſemperPontificem ipſum adire poſſunt,non putant ex perſona, ac dignitate ſua alijs illa deferre, quos nō ornet Purpuræ decus,& Pontifici proxima gloria. Et ſepè etiam Pontifici tutum non eſt, ſecreta regiminis alijs aperire, qui ſecum & Generis propinquitatem, & fortunæ felicitatem coniunctam non habeant.

Quòd item ſpectat ad opulentiam eorundem Nepotum; etſi nos minimè excuſamus ſuperfluum aut vſum, aut luxum, dicimus tamen, ſæpè expedire, vt non modò non egeant, ſed nec habeant, quòd, mortuo Pontifice, quorumdam Potentum inuidiam timeant, quorum offenſionem aliquandò fortaſſe, iuſtitiam adminiſtrantes, incurrerunt: Et ſepè etiam intereſſe publici commodi, vt opibus abundent, tùm ad ſubleuandas multorum neceſſitates, tùm ad plura magni sũptus facienda,quæ, licèt eorum nomine peracta, in vniuerſum tamen iuuant,& commune bonum, atque vtilitatem reſpiciunt.

At quid tam multa in ſingulis?quandò vnum ſat eſſe poteſt; Hæc omnia in Romanam Vrbem conuicia, ac maledicta Lutheri præcipuè ſenſus eſſe, hominis ſcilicet nequiſſimi, & impudentiſſimi; vt ex eo patet, quòd in libro contra Regem Angliæ dicit, Principes, Reges,

&

& Imperatores Christianos esse Tyrannos, stultos, fatuos, feras bestias, carnifices, Dei inimicos, ac nequissimos nebulones: & clarius adhuc apparet ex libro contra sicarium *Dresdæ*, in quo, monitus, omnium se reprehensionem promereri de sua obtrectatione in Vrbem Romam; *Nihil curo*, respondit, *quod queritur, in libro meo non fere nisi maledicta, & Diabolos nominari: Hoc debet esse mea gloriatio, meus honor*: (ita impius gloriabatur in malitia) *sic & habere volo, vt deinceps dicatur de me, quòd plenus sim maledicentiæ, criminationis, & execrationis in Papistas.* Adeò cæcum est hostis odium, vt non curet, qua veritate loquatur, dummodò se posse nocere sibi persuadeat.

Sed ne taciti præterijsse videamur, quod tu; ex animi tui prauitate alios iudicans, ais, Leges à Patribus fuisse latas per fraudes, ac dolos; non negamus, Concilij Patres fuisse homines, & quidem infirmitatibus obnoxios: sed dicimus, veritatem Fidei Catholicæ, quam profitetur Sancta Synodus, nullis dolis, aut fraudibus indigere. His quippe sese fulciunt mendacia, quæ firmitudinis speciem habere non possunt, nisi malis artibus id fiat, vt veritas ab ipsis stare videatur. At nec tu negare potes, quod in Clypeo

ad primam Sagitam probauimus, negocia omnia Concilij tàm ad Fidem, quàm ad mores ſpectantia, fuiſſe canonicè, & concordibus Patrum Suffragijs expedita; quod omnes excludit fraudes, ac dolos. Quo vel vnico argumento, qui hæc tecum blaterant, conuincuntur ſectatores eſſe Lutheri, vt ipſe fatetur, maledicentiſſimi, aut Caluini, qui etiam Cæli
Inſt. l. 3. c. 20. ʃʃ. 25 & 27. Ciues blaſphemijs inſectatus, eos generatim laruas vocauit, & ſanctos Patres malas beſtias: ac
l. 1. c. 14. ʃʃ 4. ſpeciatim appellauit S. Dionyſium vanum, ſtultum, ac garrulum, S. Irenæum Idololatram, S. Cyprianum, S. Agustinum, ac S. Damaſcenum
Harm. in luc. cap. 18 deliros: Eademque cenſura excipiens Veteris Teſtamenti Sanctos, Zachariam Sancti Ioannis BaptiſtæPatrem aſſeruit grauiſſimi reum pecca-
In dan. c. 46. ti; Danielem aulicis contaminatum corruptelis;
In lamen. 3. 8. Hieremiã violentis concuſſum perturbationi-
In Iſa. 1. 6 & 5. bus: Iaiam quaſi lymphatum, ac de vita de-
Inſt. l. 3 c. 20. ʃʃ. 16. ſperantem mortem aduocaſſe: Dauidem tur-
In Exo. 5. 22. bulentæ obnoxium amotioni: Moyſem ſuper-
Se. 1. in Iob bum, ſtultum, ac mentis obſcuriſſimæ: Iob
Inſt. l 3. c. 2 ʃʃ. 31. deſperaſſe, ac reſtitiſſe Diuinæ voluntati: Iſaac
In Gen. 16. 1. 3. in Fide lapſum: Itemque in Fide hæſitaſſe Abraham: Et Adam in reprobis adnumerauit.
Inſt. l. 3. c. 23. ʃʃ. 7. Addidit, ne nimis multa id genus referam, quæ piæ aures auerſantur, ea; quæ Sancti Pa-

tres

tres de Angelorum excellentia tradiderunt, ac munijs, ſtultam eſſe, ac meram garrulitatem. Quæ in reliquis fides ijs habenda ſit, qui tam impiè in Cælum os ponunt, tuùm ipſius eſto iudicium.

Patet igitur, Concilij Leges fuiſſe ſanctiſſimè latas: & Romam non modò non eſſe Cathedram peſtilentiæ, aut Satanæ Synagogam, aut Antichriſti Solium, aut Babylona, aut alijs, qui obijciuntur, titulis dignam; ſed ex Dei miſericordia gloriari adhuc in Domino poſſe vetuſtiſſimo Hieronymi elogio; *Hìc incorrupta Patrum ſeruatur hæreditas: Hìc ceſpite terra fæcundo Dominici ſeminis puritas cěteno fructu refertur: Nunc in Occidente Sol Iuſtitię oritur: in Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, ſupra Sydera poſuit Tabernaculum ſuum.* ep. 55. ad Damaſum.



SAGITTA V.

Seſſ. 5. De Symbolo Fidei.

Symbolo Fidei nec credendum eſſe, nec, vt loquuntur, diſcredendum.

CLYPEVS.

In Ep. ad Iuſt. Imp.



Pportunè aduertit Sumus Pontifex Hormiſda, *Hæreticos omnes eius eſſe propoſiti, vt malint dubitare quàm credere, certare quàm noſſe, ſequi dubia quàm ſeruare decreta,* Scilicet adeò ſui Sectatores agitat Satanas, vt illos, dum cogit ſumma inconſtantia modò vnum, modò aliud credere, eò tandem inducat, vt nihil credant. Hos inter Caluinus eò cæcitatis eſt prolapſus, vt impudenti etiam cachinno in Bernenſi ſuorum Conuentu, (an colluuione?) de Athanaſij Symbolo agens, quod per ſummam impietatem Satanaſij vocabat, affirmare non ſit veritus; *Symbolo Fidei, nec credendum eſſe, nec diſcredendum.*

In quo ego, ne in volumen, & quidem magnum, noſtra excreſcat reſponſio, ſi perſequar ſingula, quæ in Symbolo à veritatis hoſtibus

bus expungūtur, aut deprauantur; omittam hìc, quas de Processione Spiritus Sancti à Filio, aut de Communione Sanctorum, aut de Ecclesia Catholica, & alijs antiquiores Hæretici excitarunt, turbas, Santissimorum Patrum, Pontificum, & Conciliorum authoritate sedatas, atque compressas: Et ijs solummodò insistam, quæ à Recétionibus videntur obiecta frequentius: De Christi Incarnatione, ex verbis Apostoli; *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de Cęlo Cęlestis*; Aut de Resurrectione Mortuorum, ex alijs eiusdem Apostoli verbis; *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*. Neque tamen execrandas eorum nugas præteribo, qui cum per insaniam horribilem Deum ipsum negent, Athei dicuntur; quorum plures Dæmon sibi classes designat, atque instruit.

1. Cor. 15.

Ibidem

Et quòd spectat ad Christi Incarnationem: Pro ea stant Apostoli Oracula; *Qui* (scilicet Filius Dei) *Factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem*. Et alibi; *Nusquam enim Angelos apprehēdit, sed semen Abrahę apprehendit*. Cum quo consentit S. Matthæus, dicens, *Liber generationis Iesu Christi Filij Dauid, Filij Abrahā*. Si enim Christus nihil assumpsisset ex Maria Virgine, gratis certè ab his Apostolis diceretur; *Factus ex semine Dauid*, vel *ex semine Abrahę*: Item gratis

Rom. 1.

Hebr. 2.

Matth. 1.

in scriptura passim diceretur; *Maria Christi Mater, Christus Mariæ Filius*; vt ibi: *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* Et alibi; *Erat Mater Iesu ibi*: (Scilicet in nuptijs) Ac rursus; *Stabat iuxta Crucem Iesu Mater eius.* Itemque ibi; *Impleti sunt dies, vt pareret* (scilicet Maria) *& peperit Filium suum primogenitum.* Atque Athanasius, eodem vsus argumento, ait: *Si enim Christus est Mariæ Filius, de eius substantia est secundùm humanam naturam: sicut, si est Dei Filius, de eius sit substantia necesse est, non ex non entibus.*

Matth. 1. Ioan. 2. Ioan. 19. Lucæ 2. Con. Ariũ.

Idemquè Athanasius non solùm in suo Symbolo de Christo canit; *Deus est ex substantia Patris ante secula genitus: Homo est ex substantia Matris in seculo natus.* Sed etiam alibi; *Christus*, inquit, *Dei Filius nostram mortem abolere cupiens, assumpsit sibi corpus ex Maria Virgine, vt eo in sacrificium oblato Patri pro omnibus, liberaret omnes.*

Hom. 4. in Matth. Matth. 1. Gal. 4.

Cui adhæret Chrysostomus, dicens; *Quòd Christus ex Virginis carne processerit, demonstrauit ille, qui dixit; Quod enim ex ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Et S. Paulus (quod ora planè obstruit Impiorum) *Factum*, inquit, *ex Muliere, factum sub Lege.*

Nec vrgent obiecta eiusdem Apostoli verba;

Primus

Primus homo de terra terrenus, secundus homo de Cęlo Cęlestis: Ea enim interpretatus Theophilactus, apertè pro veritate dicit; *Neque propterea hoc ait, quod homo, siue ipsa humanitatis assumptio è Cęlo esset, quemadmodum demens ille Apollinaris delirabat, sed quod vna sit persona ipsius Christi: Et homo de Cęlo esse dicitur propter vnionem Diuinę naturæ cum humana: sicuti eandem ob causam Deus fuisse crucifixus asseritur.* Et Glossa Ordinaria eadem verba exponit: *Primus homo de terra terrenus, idest animalis, & passibilis ex natura, secundus homo de Cęlo Cęlestis; quia Diuina natura fuit humanę vnita.*

Quod verò spectat ad Mortuorum Resurrectionem; Idem Apostolus; *Ecce*, inquit, *Mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus*, &c. Et S. Damascenus: *Resurrectio est eius, qui cecidit, secunda surrectio; eiusdem enim est cadere, & resurgere: cecidit hoc corpus per mortem, quod in nouissimo die de terra resurget.* Vnde etiam Sanctus Augustinus; *Resurgere nihil aliud est, quàm reuiuiscere; non autem reuiuiscit nisi idem numero.* Et Theologi omnes aduertunt, quòd si anima aliud assumeret in resurrectione corpus, quàm quod in vita possedit, & in morte reliquit, hæc non esset resurrectio, sed assumptio: Quemadmodum Dei Filium in Incarnatione assump-

Lib. 4.

Lib. 8. de Trinit.

sisse

ſiſſe dicimus naturam humanam in vnitatem ſuppoſiti.

Idque adeò verum eſt, vt idem Apoſtolus dicat, *Omnes reſurrecturos in menſura ætatis plenitudinis Christi*, hoc eſt in ætate, quam habuerunt, aut habituri fuerant circa trigeſimum tertium annum. Et Sententiarum Magiſter, quem Theologi omnes ſequuntur, docet, homines reſurrecturos cum capillis, vnguibus, humoribus, & omnibus, quæ ſunt de perfectione humanæ naturæ in indiuiduo.

In 4. dist. 44.

Neque his obſiſtunt obiecta S. Pauli verba; *Surget corpus ſpiritale.* Quia, vt exponit S. Auguſtinus, *Spiritale dixit, non quia ipſum corpus ſpiritus erit, ſed quia, viuificante ſpiritu, immortale, atque incorruptibile permanebit.* Subditque; *Sic autem tunc dicitur ſpiritale corpus, cum non ſpiritus ſit, ſed permaneat corpus, ſicut nunc animale dicitur, cum tamen inueniatur non anima eſſe, ſed corpus.*

Et ex hoc etiam tollitur, quod aliqui nugantur, futurum, ſi reſurgant, vt egeant cibis, ac potibus, & ſubſint alijs neceſſitatibus, quibus ſubſunt corpora; Siquidem, vt ſuper eundem S. Pauli textum notat S. Ambroſius; *Animale corpus eſt, dùm cibis ſuſtentatur, vt viuat; Spiritale autem, cùm horum nullo indigebit, conuer-*

ſum

sum ad vitam. Et S. Anselmus ibidem; *Surget,* inquit, *corpus spiritale, idest nullis alimentis indigens, ab anima separari iam non valens.*

Nec minus leue est, quod blaterant, futurum etiam indecentiæ, si aliqui resurgerent, vt erant dùm viuerent, cæci, monoculi, claudi, & alijs vitijs deformes; Quia, quicquid futurum sit de Reprobis; *Non enim*, vt Augustinus ait, *fatigare nos debet, incerta eorum habitudo, quorum erit certa, ac sempiterna damnatio*; de Probis idem Augustinus; *Sic*, inquit, *resurgent omnes, vt singulæ animæ singula sua corpora obtineant cum membris omnibus, quibus humani corporis cõpletur integritas, vt videlicet in Beatis resecetur, quod superabundauit, dùm agerent in humanis; Potentia quoque Diuina reparet, quod defuit in membro truncatis, aut vitio deformatis.* Ac rursus; *Resurgent Sanctorum corpora sine vllo vitio, sine vlla deformitate, sicut sine vlla corruptione, onere, difficultate: & in his tanta erit facilitas resurgendi, quanta felicitas.* In Ench. cap. 92.

Leuissimum quoque est, quod, cum aliqui absumpti fuerint ab animalibus, vel ab hominibus, hi propterea non possint resurgere in corpore iam assumpto, minusque in eo, quod absumpsit; Siquidem, vt ait idem Augustinus, *Non perit Deo terrena materies, sed in quemcun-* In Ench. Cap. 88.

que puluerem, cineremue soluatur, in quamcunque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa alimenta vertatur, in quorumcumque animaliũ, etiam hominum, cibum cedat, illi animæ humanæ puncto temporis cedit, quæ illam primitus, vt homo fieret, cresceret, viueret, animauit.

Quod demum pertinet ad Atheos, seu potius Epicuri de Grege Porcos, Deum negantes, mirum quidem est, eos in hanc amentiam deuenire, vt negent, quod euidentissimis & Scripturis, & humanis rationibus conuincitur; nempe ex multiplicibus Dei apparitionibus in veteri, ac nouo Testamento: Ex apparitione Filij Dei in carne, vt expiaret peccata Humani Generis: Ex conspicua Spiritus S. effusione: Ex Diuini auxilij in nobis experientia, cùm id imploramus: Ex visibili gloria Sanctis Viris attributa, vt Eliæ viuentis igneo curru in Cælum prouecti: Ex certa futuri Iudicij promissione, & plurimis id genus.
2. Metap. Et quia, vt loquuntur Scolastici; Si aliquando nihil fuit in rebus; Quod non erat, non poterat incipere esse, nisi per aliquod, quod erat; Quod est Deus. Cum non sit possibile, vt aliquid sit causa effectus sui ipsius, quia sic esset prius se ipso, quod
8. Phis. est impossibile, necesse est ponere causam efficientẽ primam; Quæ est Deus. Si omne, quod mouetur, ab alio mouetur, & ipsũ ab alio, & illud

ab alio, necesse est deuenire ad aliquod primum mouens, quod à nullo mouetur; Quod est Deus: Et, si etiam corpora naturalia, cognitione carentia, operantur propter finem, vnde semper, aut frequentius eodem modo operantur, vt consequantur id, quod est optimum; ex quo patet, non à casu, sed ex intentione peruenire ad finem; necessariò dari debet aliquod intelligens, à quo ordinantur; Quod est Deus.

Veruntamen, diutius fortassis quàm par erat, in his sumus immorati, quæ circa Symbolum Apostolicum præcipuè obiectantur ab Aduersarijs nostris; Quando ad Incarnationis Articulum, vel sola sufficere poterat Ephesina trecentorum Patrum Synodus, quæ, cunctis suffragantibus, statuit in vna Christi persona duas naturas, Diuinam pariter, & Humanam: Ad Alterum Resurrectionis, satis fuerat ipsa Christi Domini Resurrectio, qua nostræ resurrectionis & fidem agnoscimus, & decus, cum carne, & ossibus resurrecturi, cum quibus resurrexit & Christus. Et contra Deum negantes, nostris non eget argumentis, quod vniuersa rerum omnium serie comprobatur.

Nec dubium aliquod ingerit, quod in diuersis locis aliqua inueniantur addita eidem Symbolo, vt videre est in Symbolo Atha-

nasij Nicæno, in Antiocheno, in Constantinopolitano, & alijs. Quia, quiquid actum sit in cæteris locis propter nonnullos Hæreticos, ad excludendos nouellæ Doctrinæ sensus; Romana Ecclesia, Custos tenacissima, ac fidelissima Antiquitatis, quod didicerat ab Apostolis, nullo penitus additamento, seu elucidatione, hoc semper retinuit, Ruffino ponderante, quia, *Nulla hæresis hinc sumpsit exordium, & mos ibi seruatur antiquus*.

De exposit. Symb. in præf.

Itaque, quicunque Caluinum in hoc sectaris, Symbolum Fidei, & spei nostræ, quod fuit ab Apostolis traditum, iuxta Hieronymi consilium, scribe, *Non in charta, neque atramento, sed in tabulis cordis carnalibus*. Quippe quia, vt aduertit Augustinus, *Collata in vnum totius Catholicæ Legis Fides Symboli colligitur breuitate*. Et, vt ait S. Leo Papa; *Ipsius Catholici Symboli breuis, & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententijs, tàm instructa est in munitione Cælesti, vt omnes Hæreticorum opiniones hoc solo possint gladio detruncari*.

De tempore Serm. 115.

Ep. 13. ad Pulcheriã Augustam.



SA-

SAGITTA VI.

Inter canonicas infallibilis veritatis Scripturas non benè annumerari Iacobi Epistolam, Librum Ecclesiastæ, Libros Machabæorum, & alia à Tridentino Concilio probata, ac relata. Seß. 6 De canonicis scrip.

CLYPEVS,



NOn benè, Hæreticorum iudicio, inter Sacros Libros annumeratur vllus ex his, qui clariùs illorum somnijs aduersatur. Scilicet Lutherus, qui præ alijs nouam sibi somniauit Fidem, qua Impius credat, omnia sibi per Christum remitti peccata, reliqua contemnat cuncta; videns, in hoc sibi Epistolam resistere S. Iacobi, quæ docet, *Fidem sine operibus mortuam esse, & inutilem ad salutem*; affirmauit, illam esse *stramineam*.

Idem, qui sola fide remissionis omnium peccatorum per Christum, nisus est cunctos Christi Fideles à Dei timore, ac Mandatorum obseruatione distrahere; impugnauit Ecclesiasten, cuius hæc est conclusio: *Deum time, &*

Man-

Mandata eius obſerua; hoc eſt enim omnis homo. A qua nec principium diſcrepat, nec medium.

Idem perditiſſimus homo (ne prolixior ſim in reliquis, quæ ipſe, & alij veritatis hoſtes leuiſſimè obiectant) mortuis etiam infenſus, oppugnauit libros Machabæorum, in quibus Scriptura non modò factum laudat Iudæ Machabæi, qui miſit Hieruſalem 1200. drachmas argenti in Sacrificia pro Mortuis impendendas; ſed expreſſè addit; *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro Defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.*

At certiſſima eſt eius Epiſtolæ, horumquè librorum inter canonicos connumeratio; Siquidem, De receptione Epiſtolæ Iacobi, genuina veritas non ſolùm probatur ex Hieronymo, qui
Ep. 103. eam Iacobi eſſe teſtatur in Epiſtola ad Paulinū:
Lib. 2 & aduerſus Pelagianos agens; *Iacobus*, inquit,
Lib. 1 *Apoſtolus ſcribit; Si iudicas legem*, &c. Et alibi;
Ad 5. Iud. *Nonne Iacobus Apoſtolus ſcribit; Qui in vno offen-*
c. 2. Hom. 5. in Ioſue. *dit, &c.* Verùm etiam ex Tertulliano, & Ori-
Ad Io: Ep. gene, qui eam citant, & abſque aliqua ambi-
Hier. In Car. de guitate tribuunt Iacobo, Necnon ex Epipha-
lib Canon. nio, qui non ſatis eſſe ratus, Iacobum, à quo
Ep. 3 De Doct. ſcripta fuit nominaſſe Apoſtolum, vt quis eſſet
Chriſtiani. lib. 2. c. 8. Auctor certiùs ſignificaretur, adiecit; *Et*
Inſt. diu. *fratrem Domini.* Item ex Gregorio Nazian-
lect. lib. Orig. zeno, Innocentio Papa, Auguſtino, Caſſio-

doro

doro , Iſidoro , atque alijs , qui eam vt legitimam intexuerunt in canonicorum Scriptorum Cathalogo. Inſuperque eadem veritas conſtat ex Actis Gelaſij Papę Primi in primo Concilio Romano , in quo hæc Epiſtola ab eodem Pontifice recepta eſt , & à ſeptuaginta Epiſcopis inibi congregatis. Hanc pariter ratam habuerunt Anacletus Papa, & Vrbanus Primus. Hanc demum approbarunt Concilia, Laodicenſe potiſſimùm, & Carthaginenſe.

Ep. de Opp. eper.
Ep. de conuita.

Librum porrò Eccleſiaſtæ, ab Eccleſia receptũ eſſe conſtat, ex eiuſdem Gelaſij Primi Decreto de Libris Sacris , quod habetur in ſecundo Tomo Conciliorum : & ex prædictis Concilijs Laodicenſi, & Carthaginẽſi. Nec aduerſus illum quidquam habet momenti , quod aiunt , eum ab Salomone ſcriptum iam lapſo ; Nam, eſto , vera ſit quorumdam opinio , qui cenſent , fuiſſe ſcriptum poſtea , continebit ſanè Salomonis ipſius pænitentiam , quæ librum nobis probet, non improbet. An non pariter & Dauid eius Pater multos Pſalmos ſcripſit poſt lapſum ? qui propterea neutiquam cẽſentur minùs canonici : Immò & acriorem Pœnitentibus ingerunt pietatis , ac religionis ſenſum.

Cæterùm & ipſos Machabæorum libros planiſſimè Eccleſiam amplexatam eſſe , eadem,

quæ

Can. 47 quæ attulimus, Gelaſij Acta, & Concilij Carthaginenſis decernunt. Quod & S. Auguſtinus confirmat, qui, *Libros*, inquit, *Machabæorum non Iudæa, ſed Eccleſia pro canonicis habet*. Tantique habet, vt eos inter Matutinas preces ritè, ac publicè legendos proponat Octobri menſe toto.

De ciu. Dei cap. 36.

Et ſicut ad veritatem certius indagandam, de his, alijſque canonicis Libris dubitare aliquando licuit, ac diſceptare; quia Eccleſia, quæ in dies nouo lumine illuſtratur, nondum eos vt canonicos receperat (Prout non adhuc recipit Epiſtolam, quæ legitur inſcripta; *Sancti Pauli ad Laodicenſes*) Ita de iam receptis dubitare piaculum eſt: Et maxima eis præſtanda eſt reuerentia, & fides; ſic ſuadente, ac præcipiente ipſa Eccleſiæ authoritate: De qua dubitare nemo audet, qui rectè ſentiat; aſtruente firmiter Saluatore; *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat Fides tua*. Vnde Auguſtinus, cui & Patres, & Theologi omnes aſſentiuntur; *In re dubia*, inquit, *ad Fidem, ac certitudinem valet authoritas Eccleſiæ Catholicæ*.

Quam quidem Eccleſiæ authoritatem in Libris omnibus ab ea receptis ingentibus etiam Miraculis quandoque Dominus confirmauit; Etenim temporibus Diocletiani, & Maximiani,

Su. Tom. I. 11. Febr.

vt


vt habetur ex Actis, Procõsularibus, cum, Dæmone Christi fidelibus insidiante, statutũ esset, vt Sacrosancta Domini Testamenta, ac Sacræ Scripturæ Codices ad comburendum darẽtur, eosque Magistratus Sacrilegus igni apposuisset, subitò imber sereno Cælo diffunditur, ignis Scripturis Sanctis admotus extinguitur, grandines adhibẽtur, omnisque ipsa Regio pro Scripturis Dominicis, elementis furentibus, deuastatur. Et Græcorum Historici omnes, ac *Anno 886.* præcipuè Curopolates non absimile miraculum refert his verbis; *Archiepiscopum, qui ad eos nuper venerat, accersitum Princeps interrogauit, quæ nam essent, quæ ille annunciaret, quę ipsum docere posset: Qui cum sacrum Diuinę Scripturæ Librum protulisset, & quædam miracula recenseret à Deo, quando, humana forma assumpta, apud eos erat, facta; Nisi aliquod, Multitudo respondit, simile nos conspiciamus, & maximè quale asseris trium puerorum in fornace, nequaquam tibi credituri sumus Ipse verò* *Dan. 3* *illius, qui mentiri non potest, verbo confisus dicentis; Quodcumque petieritis in nomine meo,* *Ioan. 14* *accipietis.* & *Qui credit in me, opera, quę facio, & ipse faciet, & maiora his faciet: Et si, inquit, haud licet tentare Dominum Deum: attamen si ex animo decreuistis ad eum accedere, petite quod-*

cumque vultis, & hoc faciet omninò propter fidem nostram Deus, quamuis nos minimi ſimus, & indigni. Ipſi autem petierunt Diuini Euangelij volumen in ignem à ſe incenſum proijci, ſpondentes, ſi illæſum ſeruaretur, ad eum ſe acceſſuros Deum, qui ab ipſo prædicaretur. Viſum eſt id faciendum: Et cum Sacerdos, ſublatis ad Deum oculis, & manibus, dixiſſet; Oſtende glorioſũ ſanctũ nomen tuũ Ieſu Chriſte Deus noſter in oculis nationis huius: in fornace proiectus eſt Liber, incenſaque fornace, ad horas aliquot, & deinde penitus extincto, & conſumpto igne, Sacrum illud Volumen inuentum eſt permanſiſſe illibatum, & illæſum, nullo ab igne accepto detrimento. Quod conſpicati Barbari, & Miraculi magnitudine percuſſi, ſine vlla controuerſia ad Baptiſmum confugere. Hactenus Curopolates.

Quibus omnibus accedit, quòd etiam Concilium Florentinum canonicos omnes Libros, quos Eccleſia antea receperat, integrè in Inſtructione, quam tradit, Armenorum recipiendos confirmat. Taleſque haberi planum eſt à Patribus Græcis, & Latinis, qui & illos inter canonicos connumerant, & illorum teſtimonijs paſſim, & ſine controuerſia vtuntur. Quorum Catalogum hìc attexere neceſſarium non putamus, ad alia properantes.

His

His itaque, si veritatem tibi persuaderi pateris, quisquis hactenus illorum errorem secutus es, qui talia opponunt, profiteri iam potes, Scripturas omnes, quæ inter canonicas relatæ sunt à Tridentina Synodo, certissimæ, & immutabilis veritatis esse: & contrarium affirmantes, non alia vrgeri ratione, quàm quæ affertur à Tertulliano de Iudæorum peruicacia, Librum Enoch reprobantium, nimirum, *Omnis Scriptura ædificationi habilis, diuinitus inspirata, à Iudæis propterea reprobatur, quia Christum sonat.*



SAGITTA VII.

Seſſ. 7 De Canonicis ſcripturis.

Inſignem audaciam eſſe maieſtati, & authoritati Sacræ Scripturę æquare Traditiones.

CLYPEVS.

In Ep. ad Ducem Sax.



Vdaciæ nos notat, quòd Sacræ Scripturæ æquemus Traditiones Lutherus ille, qui ſe Prophetam, ac Dei Euangeliſtam vocãs, Doctrinam ſuam pro cæleſti venditat: atque impudentiſſime iactat, ſuum Euangelium luculentius, & clarius eſſe, quàm fuerit temporibus Apoſtolorum: ac Germanos ante ſuam ipſius doctrinam nunquam verum habuiſſe Euangelium.

Lib. con Prin. Cat.

Serm. de deſtr. Hier.

Audaciam increpat noſtram, qui, docens, ſolam Fidem abſque Charitate, ac bonis operibus iuſtificare, poſt plurima in Catholicos conuicia, erupit in hæc verba, quibus haud ſcio, an Satan ipſe poſſit quicquam eructare arrogantius; *Dico ego Doctor Martinus Lutherus, Domini Noſtri Ieſu Chriſti indignus Euangeliſta, quòd hunc Articulum, Fides ſola abſque*

omni

omni opere iustificat coram Deo; firmum, atque inconcussum permittere debet Romanus Imperator, Turcius Imperator, Tartaricus Imperator, Papa, omnes Cardinales, Episcopi, Sacerdotes, Monachi, Moniales, Reges, Principes, Domini, totus Mundus simul cum suis Dæmonibus. Hic esto meus Doctoris Lutheri instinctus à Spiritu Sancto, verumque, ac sanctum Euangelium.

Qui contemnit, & contemnere se profitetur, vt ipse loquitur, æternas Ecclesiæ consuetudines: Qui sensus, immo somnia propria æquat, immo præfert Sacræ Scripturæ, nos damnat, quòd illi æquemus Traditiones; Et, Dæmone inspirante, sic dogmatizat, & anathematizat, *Non alia Doctrina in Ecclesia tradi, & audiri debet, quàm purum Verbum Dei, hoc est Sacra Scriptura: Doctores, vel Auditores alij cum sua Doctrina anathema sunto.*

Lib. de abr. Miss.

In comm. c. 1. ad Gal

At contra illum pro Catholica de Traditionibus Doctrina exstant clara Apostoli Oracula: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Et alibi; *Itaque, Fratres, state, & tenete Traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.* Vbi S. Chrisostomus; *Hinc patet*, inquit, *quòd non omnia per Epistolas tradiderunt, sed multa etiam sine illis.* Et subdit; *Eàdem verò Fide di-*

1 Cor 11

2 Tessal. 2

Hom. 4

gna sunt tàm illa, quàm ista. Et S. Basilius, *Apostolicum*, inquit, *arbitror esse, etiam in non scriptis Traditionibus perseuerare.*

Sed vt antiquiorum etiam Patrum testimonio pateat, è quibus fontibus earumdem Traditionum riui fluxerint in Ecclesiam, quæ basis quædam, & fundamentum totius Ecclesiasticæ Oeconomiæ esse videntur; De Ignatio

H.st.l.3. cap 3 Apostolorum Discipulo hæc scribit Eusebius: *Cum iter per Asiam faceret; licèt attentissima cura à satellitibus, qui illum ductabant, obseruaretur: Ecclesias tamen omnium Ciuitatum, ad quas fortè diuerteret, familiaribus colloquijs, pijsque hortationibus confirmauit: ac primùm vt hæreses, quæ iam tùm primò nasci, & emergere cæperant, maximè præcauerent, sedulò admonuit: deinde hortatus est, vt Apostolorum traditioni mordicus adhærescerent.*

De Polycarpo itidem Apostolorum Discipu-

li.l3 ca 3 pulo Irenæus hæc memoriæ commendat: *Polycarpus autem non solùm ab Apostolis edoctus & illorum consuetudine vsus, qui Dominum viuum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia in ea, quæ est Smyrnis, Ecclesia constitutus est Episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra, ætate; multum enim perseuerauerat, & valde senex gloriosissimè, & nobilissimè Martyrium faciens,*

ciens, exiuit de vita. Hic docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat, & Ecclesiæ tradidit, & sola sunt vera.

De Hegesippo testatur Eusebius, ab eo quinque libris scriptas esse Apostolicas Traditiones; sic enim ait; *Iste enim sinceram, & minimè fucatam Apostolicæ Prædicationis Traditionem quinque libris, illo quidem scribendi genere maximè simplici, ac summisso litteris persequi aggrediens; tempus, quo ipse floruit, aperte indicat.* *Hist. lib. 4 cap 8*

Iustinus ritum sacræ Eucharistiæ celebrandæ non aliunde, quàm ex Apostolica Traditione acceptum in Oratione ad Antoninum Pium exactè descripsit. *lib. Quest. & resp. q 118*

Irenæus Iustino ferè æqualis (eodem enim sæculo vixit) cæteris locupletius de his agens Traditionibus, potissimùm aduersus Hæreticos, habet: *Cum autem ad eam iterum Traditiotionem, quę est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorũ in Ecclesijs custoditur, prouocamus eos, qui aduersantur Traditioni, dicunt, se nõ solùm Præsbyteris, sed etiam Apostolis sapientiores, sinceram inuenisse veritatem.* Et infra; *Traditionem itaque Apostolorũ in toto Mundo manifestatam in Ecclesia est perspicere omnibus, qui vera velint audire: & habemus annumerare eos, qui ab Apo-* *lib 3 cap 2 3 4.*

stolis instituti sunt Episcopi in Ecclesijs, & successores eorum vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt, quale ab his per delirium traditur. Et enumerans Petri successores vsque ad sua tempora, de Clemente tradit, eum non tantùm scriptis, sed & Traditionibus, Epistola ad eos scripta, composuisse Corinthiorum dissensiones.

De Præscr. Tertullianus Irenæo proximior, egregius eiusdem veritatis adstipulator, Marcionem Traditiones negantem arguens, inter cætera, *Porrò,* inquit, *quod traditum erat, id erat verum, vt ab eis traditum, quorum fuit tradere: Ergo quod erat traditum rescindens, quod erat verum rescidisti: nullo iure fecisti.*

In stromat. Clemens Alexandrinus, qui eisdem cum Tertulliano temporibus Seueri, & Antonini eius filij claruit, viua voce, & animata, vt ipse ait, oratione Magistrorum, qui à Maioribus ea acceperant, plura se assecutum esse testatur. Et in libro, quem de Paschate composuit, fatetur, se à familiaribus suis compulsum, vt Traditiones: quas à veteribus Presbyteris accepisset, litteris proderet ad posteritatem.

Hier. de scrip. Eccl c.38 & 53

Hom. 5. in Num Origenes quoque, Clementis eiusdem Discipulus, de Traditionibus, quas Ecclesiasticas Obseruationes appellat, hæc habet; *Sed & in*

Eccle-

Ecclesiasticis Obseruationibus sunt nonnulla eiusmodi, quæ omnibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet; Nam quòd verbi gratia genua flectimus orantes, & quòd ex omnibus Cæli Plagis ad solam Orientis partem conuersi orationem fundimus, non facilè cuiquam puto ratione compertũ; sed & Eucharistiæ, siue perficiendæ, siue eo ritu, quo geritur, explicandæ, vel eorum, quæ geruntur in Baptismo verborum, gestorumque, & ordinum, atque interrogationum, & responsionum quis facilè explicet rationem? Et tamẽ omnia hęc operta, & velata portamus super humeros nostros, cùm ita implemus ea, & exequimur, vt à Magno Pontifice, atque eius filijs tradita, & commendata suscepimus.

His, plurimos, ac grauissimos sequentium sæculorum Patres omittentes, ne nimia prolixitate simus onerosi; addimus aliqua summorum Pontificum, ac generalium Conciliorum testimonia; Etenim ex Pontificibus, Leo Primus; *Dubitandum*, inquit, *non est, dilectissimi, omnem Obseruationem Christianam eruditionis esse Diuinæ: Et quicquid ab Ecclesia in consuetudinem est diuinitus receptum, de Traditione Apostolica, ac de sancti Spiritus prodire Doctrina.* Serm. 2. de Ieiu. Pent.

S. Fabianus Papa, & Martyr, præmissa Ep. suo D.

Doctrina de renouatione Sacri Chismatis, singulis annis facienda: *Ista*, inquit, *à sanctis Apostolis, & eorum successoribus accepimus, vobisque tenenda mandamus.*

Ep. 1. ad Decentium S. Innocentius Primus docet, Instituta Ecclesiastica, vt sunt à Beatis Apostolis, integra à Sacerdotibus seruanda esse, vt nulla varietas in ipsis Ordinationibus, & Consecrationibus habeatur.

Lib. 1. Hist. cap. 8 Ex Concilijs, Antiquissimum, ac celeberrimum Nicænum Primum, Theodoreto teste, Arij Hæresim damnauit ex Doctrina non scripta, sed tradita, per manus Patrum in Ecclesia succedentium.

Act. 2 in fine. Nicænum secundum; *Si quis*, inquit, *Traditionem Ecclesiæ, siue scripto, siue consuetudine valentem non curauerit, anathema sit.* Et in *Act. 8 Post act. vlt. con. 1.* Concilio Generali 8. non solùm repetuntur hæc eadem verba, sed ipsimet Patres profitentur, se omnes Traditiones, non solùm Apostolicas, verùm etiam Ecclesiasticas seruaturos.

Sed & ratio ipsa, meridiana luce clarior, hoc ipsum suadet; Quia scilicèt eodem Spiritu Apostoli loquebantur, quo scribebant: Non est minor authoritas Apostoli ore præcipientis, quàm litteris mandantis: Et hanc, vel illam

Apo-

Apostolicam esse Traditionem inde scimus, vnde scimus Scripturam Apostolicam: Nec in ijs, quæ ad Fidem faciunt, ac mores, errare potest Ecclesia, quæ est columna, & firmamentum veritatis. 1 Tim 3.

Vnde etiam Tertullianus, *Quid*, inquit, *prędicauerint Apostoli, quid illis Christus reuelauerit, hic pręscribam, non aliter probari debere nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt.* Et ante eum Irenæus; *Si de aliqua modica quęstione disceptatio orta fuisset, nonne oporteret ad antiquissimas recurrere Ecclesias, & ab eis sumere de pręsenti quęstione, quod certum est, & liquidum?* Aitque in Romana Ecclesia velut Thesauro esse ab Apostolis collocatas Sacras Traditiones, & inuiolabiliter custoditas. De Præscr. li.3.ca.3. & 4

Nec nouum est in noua Christi Religione, vt Traditiones æquentur Scripturæ; Siquidem cum ante Moysem non defuerit aliqua Ecclesia Dei in Mundo, vnde Augustinus deducit Ciuitatem Dei ab initio Mundi: & in Genesi numerantur Adam, Abel, Seth, Enoch, Noe, Abraham, Melchisedech, & alij homines iusti, qui Deum Fide, Spe, & Charitate, atque externis etiam ritibus coluerunt: Nec vllus per id tempus quadringentorum, & amplius supra bis mille annorum fuerit Scriptor sacer (Pri-

mus enim, vt omnes consentiunt, fuit Moyses) interim Traditiones non solùm fuerunt Iuri scripto exæquatæ, sed Ius omne in eis fuit constitutum.

Quòd verò à Moyse vsque ad Christum per alios mille quingentos annos, exstantibus Scripturis, non defuerint Traditiones, inde constat,
Deut. 32. vbi habetur; *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi.* Et alibi; *Interroga generationem*
Iob. 2 *pristinam, & diligenter inuestiga Patrum memoriam.* Ac rursus; *Non te prætereat narratio Senio-*
Eccles. 8 *rum; ipsi enim didicerunt à Patribus suis; quoniam ab ipsis disces intellectum.* Et præter alios multos Origenes aduertit, ac testatur, Iudæos habuisse Traditiones extra Scripturam.

Apud Tucididem. Et, si liceret profana ad hoc afferre Suffragia, & exempla, etiam Pericles partitur Ius Athenarum in scriptum, ac nōn scriptum. Et Lycurgus, teste Plutarcho, nullam Legem scriptam dedit Lacedæmonijs, sed voluit, solis Traditionibus regi, vt diligentiores in agendo essent, quàm in legendo. Quod placuisse Ciceroni apparet ex primo eius libro de Legibus. Et idem
Lib. 6 de Sapientibus Gallorum scribit Cæsar de Bello Gallico. Et de iure Romanorum cum agit Vlpianus; *Hoc*, inquit, *Ius nostrum constat aut ex scripto, aut sine scripto.*

Neque

Neque his obſtat illud, quo vel maxime nituntur Aduerſarij, ex Deuteronomio; *Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo*; Non enim ita intelligendum eſt, quaſi non liceret addere noua Præcepta: Alioquì nõ licuiſſet addere noua Præcepta Euangelica, de Fide Trinitatis, de Baptiſmo, de Euchariſtia; ſed quòd Præcepta Moſaica in ſui obſeruatione non ſint corrumpenda vel additione, vel ſubtractione, ſed integrè cuſtodienda. Quod ipſum alijs verbis, ſed eodem ſenſu explicatur alibi, cum dicitur; *Non declinabis ab eis vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram*: Eumque, vt plerique exponunt, ſenſum habent, Mandata perfectè ſeruanda, neque vllo modo deprauanda eſſe fallaci interpretatione

Tu ergo tot Scripturis, Patribus, Summis Pontificibus, ac rationibus, multòque magis, domeſtico conſcientiæ teſte conuictus, Regis conſilium, & exemplum ſequere; *Confitebor* Pſal. 111. *tibi Domine in toto corde meo, in concilio Iuſtorum, & congregatione.* Et veras Traditiones rectiſſimè Sacris Scripturis exæquari humiliter profitere.

SA-

SAGITTA VIII.

Seſſ 8 De Peccato Originali

Peccatum Originale non eſſe niſi figmentum Papiſticum.

CLYPEVS,



On ignorans, in cauſa duorum hominum, quorum alter venundedit nos ſub peccato, alter redemit à peccatis, præcipuè Fidẽ Chriſtianam conſiſtire, hoc magnum, & impudens mẽdacium dixit Lutherus. Id ipſum euulgauit ſuorum editione librorum Vueſtpalus: Et veluti relictum ſub opinandi libertate mentitur ex Recentioribus Kemnitius

Pag 895

his verbis; *Ad perpetuam rei memoriam. Notum ſit Orbi Chriſtiano, profanam Bighij-ſententiam in Decreto Tridentino non eſſe vel improbatam, vel damnatam, ſed relictam cum alijs profanis Scholaſticorum de Peccato Originali diſputationibus ſub opinandi libertate.*

Doctrinam autem de Peccato Originali validiſſimo eſſe innixam fundamento, ac fundatam ſupra firmiſſimam Petram, quæ hiſce ictibus

bus

bus concuti, vel labefactari nequeat, hinc prudens Lector animaduertat, quòd de sanctitate, ac Iustitia, in qua homo fuit à Deo constitutus, habemus Salomonis Oraculum; *Fecit Deus hominem rectum.* De quo Augustinus; *Obedientiam priùs quàm violassent Parentes nostri, placebant Deo, & placebat eis Deus: & quamuis corpus animale gestarent, nihil in illo inobediens aduersum se moueri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo Iustitiæ, vt quia eorum anima famulum corpus à Domino acceperat, sicut ipsa eadem Domino suo, ita illi corpus eius obediret, atque exhiberet vitæ illi congruum sine vlla resistentia famulatum. Hinc & nudi erant, & non confundebantur.* Et alibi; *Credimus*, inquit, *hominem tam perfectè conditum à Deo, & in beata vita constitutum, vt ad ærumnas mortalis vitę ipse inde propria voluntate sit dilapsus.*

Ecclesi 7

Lib 2 de Pecca.rem. cap 21

Lib 2 de lib arb c 11

Postea quàm verò Præcepti facta est transgressio; *confestim*, vt dicit idem Augustinus, *Gratia deserente Diuina, de corporum suorum nuditate confusi sunt Parentes nostri; senserant enim motum inobedientis carnis suæ, tanquam reciprocam pænam inobedientiæ suæ. Et quia superiorem Dominum anima, libertate in peruersum propria delectata, suo arbitrio deseruerat, inferiorem famulum ad suum arbitrium non tenebat: nec*

Li.13 c 13. de Ciu. Dei

omninò

omninò habebat subditam carnem, sicut semper habere potuisset, si Deo subiecta anima ipsa mansisset. Tunc Caro cæpit concupiscere aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus Carnem; cum qua controuersia nati sumus, contrahentes originem mortis in membris nostris: vitiataque natura, contentionem eius sine victoria de prima præuaricatione gestantes.

4 Moral cap 30 Cui adhæret Gregorius, qui, *Ad hoc*, inquit, *in Paradiso positus fuerat homo, vt si se ad Cõditoris sui obedientiam, vinculis charitatis astringeret, ad cælestem Angelorum patriam quandoque sine carnis morte transiret; Sic namque est immortalis conditus, vt tamen si peccaret, etiam mori posset, atque ex merito Liberi Arbitrij beatitudinem illius Regionis attingeret, in qua mori, vel peccare non posset.*

Psal 50 Item de Peccato Originali non solùm habemus Regij Prophetæ dictum; *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*; Sed etiam tergeminum suppetit Diui Pauli testimonium. Primum quidem;
Rom 5 *Per vnum hominem peccatum intrauit in Mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Alterum; *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Tertium

postremò

postremò; *Eramus natura Filij iræ, ſicut cæteri.* Vbi Gloſſa interlinearis; *Natura*, inquit, *ideſt per Parentes.* Et Auguſtinus. *Natura, ideſt originaliter.*

Hanc Catholicam veritatem conſtantiſſimè nobis teſtati ſunt alij quoque & Patres, & Pontifices, & Concilia. Etenim Origenes; *Quęcunque*, inquit, *anima in carne naſcitur, iniquitatis, ac peccati ſorde polluitur; propter quod dictum eſt; Nemo mundus à ſorde, nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram.* Et Sanctus Cyprianus; *Infans recens natus nihil peccauit, niſi quod ſecundùm Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit.* Sanctus Ambroſius; *Antequam naſcamur*, inquit, *maculamur contagione, & ante vſuram lucis, originis ipſius excipimus iniuriam: in iniquitate concipimur.* Ac rurſus; *Omnes homines ſub peccato naſcimur.* Et S. Auguſtinus idem habet his verbis: *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri, & mulieris concipitur, cum Originali Peccato naſci, impietati ſubditum, mortique ſubiectum, & hoc natura iræ naſci filium.*

Hom 8 in Leuit.

Lib 3 Ep. 8 ad fid. ep

Con. Noua. Ad Petrum Diac. c. 26

Ex Pontificibus, S. Gregorius eadem de re, præter ſuperius relata; *Illud*, inquit, *incertum non eſt, quia niſi Sacri Baptiſmatis gratia fuerit*

renatus homo, omnis anima Originalis Peccati vinculis est obstricta. Atque Innocentius Primus, Augustino teste, hunc sui Pōtificatus tempore exortum errorem expressè damnauit.

Ex Concilijs: Primùm Orientis Palæstinum quatuordecim Episcoporum Pelagiū, primum Hæresis authorem ita damnauit, vt ad Hæresim per se ipsum eiurandam illum adegerit. Et Mileuetanum conrra eundem Pelagium; *Quicunque*, inquit, *Paruulos recentes ab vteris Matris baptizandos negat, aut dicit quidem, in remissionem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere Originalis Peccati, quod regenerationis lauacro expietur; anathema sit.*

Cap 2

Nec id figmentum esse contendant Aduersarij nostri, quòd non intelligunt, quomodo omnes homines peccauerint in Adamo, aut quomodo Adami peccatum traducatur in omnes homines. Nam, hoc præmisso, quòd etiam nos fatemur cum Augustino, nihil esse ad prædicandum notius, nihil ad intelligēdum secretius: Quodque, vt plerique Theologorū tradunt, & explicant, Peccatum originale eodem momēto ab anima cōtrahitur, quo per seminalē generationē vnitur corpori ex terreno Adam infecto procedenti; Primum illud, quod nostri Aduersarij non intelligunt, ab eodem discimus

Lib. de mor. Eccl. c. 22.

Augustino, dicente; *In Adamo omnes tunc peccauerunt, quando in eius natura illa insita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes illi vnus fuerunt, & quicquid erat in futura propagine, vita vnius hominis continebat.* Et alibi; *Restat*, inquit, *vt in illo primo homine peccasse omnes intelligantur, quia in illo fuerunt omnes, quando ille peccauit.* Cum quo consentit Sanctus Hilarius super verbis Apostoli; *In quo omnes peccauerunt*; dicens; *Manifestum est in Adam omnes peccasse quasi in massa.*

Lib. 3. de Peccat. meritis, & remißione

Lib. 4. c. 4. con. duas Ep. Pelag.

Rom. 5.

Ab eodemquoque Augustino discimus illud secundum, quod non intelligunt circa peccati traductionem; illam enim explicat his verbis; *Profecto aut vtrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquam in vase vitiato, vbi occulta iustitia Diuinæ Legis includitur.* Et subdit; *Quid autem horum sit verius, libentius disco, quàm dico, ne audeam docere, quod nescio.*

Lib 5 ad. Iul. cap. 3.

Quàm verò alienum sit à veritate, quod Kennitius dicit, Concilium nostrum reliquisse Doctrinam de peccato Originali sub opinandi libertate, manifestè patet; Nam, etsi S. Synodus omisit, subtiliores Scholasticorum opiniones excutere, quæ salua Fide in vtramque partem disputari possunt, & sine vllo Fidei detrimento possunt ignorari; damnauit tamen

profanas omnes disputationes in pertinentibus ad rationem Peccati Originalis, quæ ad Fidem Catholicam necessaria sunt; asserens, Peccatum Originis non solùm morbum, sed etiam peccatum verè, & propriè dictum esse, contra errorem Zuinglij: Item in homine inhærere, ac proinde non substãtiam esse, sed accidens, contra Illyrici somnia: Rursus, non vnum in omnibus, sed vnicuique proprium inesse, contra sententiam minus rectam Pighij, & Catharini: Nec solùm in Infidelium, sed etiam in Fideliũ Filijs locum habere, contra hæresim Buceri, Martyris, & Caluini: Ac denique per Baptismum ita deleri, vt in recens baptizatis nihil maneat, quod habeat veram peccati rationem, contra communem Lutheranorum omnium Catholicæ Fidei repugnantem Doctrinam. In quo etiam S. Synodus veterum secuta est exempla Conciliorum, quæ de Mysterijs Fidei non consueuerunt Fidelibus credenda proponere, nisi, quæ visa eis sunt ad Fidem conseruandam, & hæreses confutandas necessaria.

Itaque, qui iam vides, Tridentinum de Peccato Originali decretum esse Sacræ Scripturæ, & Patrum, ac Summorum Pontificum, & Conciliorum Doctrinæ, ac Sententiæ consentaneum; fatere cum gloria tuæ peccatum impietatis

pietatis

pietatis, ac temeritatis, blaſphemantis, illam eſſe inuentum Papiſticum: Sicut enim ex peccato non niſi ignominiam peccator haurit, ita ex confeſſione peccati, ac pænitentia vberes gloriæ fructus colligit: quemadmodum Dauidi, & alijs quam plurimis obueniſſe ſcimus ſuas noxas confitentibus.



SA.

SAGITTA IX.

Seſſ. 6 De Iuſtific. cap. 9. & 12.

Iuſtificationem Impij ſola niti fide credentis, ſe in gratiam recipi, ſibique per Chriſtum peccata dimitti.

CLYPEVS,



Aradoxum hoc, vt primum, ac principale noui Euangelij Axioma Sectatoribus ſuis proponit Magiſter Lutherus. Qui etiam in libro, quem inſcripſit, *de libertate Chriſtiana*; *Deus*, inquit, *Pater in Fide omnia poſuit, vt ſi quis hanc habuerit, omnia habeat.* Et alibi; *Non alia via poteſt homo cum Deo conuenire, aut agere, quàm per Fidem: opera ille nihil curat.* Ac rurſus; *Erga Deum nullis operibus, ſed nuda indigemus Fide.* Vnde hac ſola Fide gloriantur eiuſmodi homines, ſuas ipſorum fortunari vias.

De captiuitate Babyl. c. de Euchariſt. In Serm. de Piſcatione Petri.

Quis non obſtupeſcat, potuiſſe hominem reperiri, qui hæc ſibi perſuadeat, & alijs perſuadere conetur? Ergo exiſtenti in Fide nullum imputabitur peccatum? Qui fuit antiquus error Aetij. Ergo homines per Fidem ſolam

lam ſalutem conſequentur, quantùmuis nefaria admiſerint ſcelera? Qui eiuſdem Aetij, & Eunomij eius diſcipuli error fuit. Contra quos ſcripſerunt Baſilius Magnus, & Gregorius Nazianzenus. Ergo nullum mortale peccatum vtcunque graue nocebit? Non homicidium, non adulterium, non auaritia, dummodò credatur; quia ſola Fides ſufficit. Hæreſis verè impia, illecebra, omniũque malorum irritamentum. Ergò homo per nullius Sacramẽti ſuſceptionem iuſtificabitur? Ergo nullius momenti erit ipſa Pænitentia? Non Ieiunium, non Oratio, non Elemoſina, non alia denique proderunt pia opera? Et quodammodo non opinio à veritate rei, ſed rei veritas ab opinione dependet?

Quorſum tot Sacræ Scripturæ loca, in quibus Chriſtus opera exigit? ſunt hæc apud Matthæum; *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cęlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cælis eſt, ipſe intrabit in Regnum Cælorum.* Atque alibi; *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Et apud Lucam proſpicuè reperias; *Contendite intrare per anguſtam portam, quia multi quærent intrare, & non poterunt.* Quid clarius afferri poteſt illo Apoſtolorum Principis dicto; *Satagite Fratres,*

Matth. 7
Idem 19
Luca 13
2. Petr. 1.

vt

vt per bona opera certam vestrā vocationem, & electionem faciatis. Et nonne pro operibus misericordiæ in extremo Iudicio Deus Iustis æternam vitam largietur; Impijs verò, qui ea præstare neglexerint, mortem inferet sempiternam? Vnde Sapiens; *Bonorum operum gloriosus est fructus.*

Matth. 25

Sapien. 3

Atque adeo verum est, opera ad Impij iustificationem exigi, vt Sancti Patres omnes & veteres, & recentiores, quamuis multa operati essent, nunquam tamen se satis Deo debitum obsequium præstitisse existimauerint; sed ingenuè se professi sint seruos inutiles, Euangelistæ monitum exequentes; *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus.*

Lucæ 17

Nec refragatur, quod ad firmandum idem Paradoxum deducunt ex Apostolo, dicente; *Arbitramur hominem iustificari per Fidem.* Et alibi; *Iustus ex Fide viuit.* Vel ex verbis Domini ad Magdalenam; *Fides tua te saluam fecit.* Et ad latronem, cui verè credenti dixit; *Hodie mecum eris in Paradiso*; Quia nusquam dicitur, vel hominem iustificari per solam Fidem, vel Iustum ex sola Fide viuere, ita vt omnis præclusus sit aditus Sacramentis, & operibus; sed solum dicitur, iustificari, & viuere ex Fide; Nam, vt studio breuitatis hìc omittamus Scholastico-

Rom. 3

Rom. 1

Lucæ 7

Lucæ 23

rum distinctiones inter primam, quam vocant, Iustificationem, aut salutem inchoatam, ac posteriorem, aut consumatam: Itemque inter Iustificationem, quam dicunt, effectiuã, siue principalem, & instrumentalem, aut formalem; Ac rursus inter opera Fidem, aut Iustificationem præcedentia, & opera sequentia facta cum gratia Dei ab hominibus iam iustificatis; de quibus plura eruditus lector habet apud plerosque, ad retundendam eorum impietatem, qui veluti Vespertiliones, noctis amant tenebras: & lumini vel maxime infensi, veritatem intueri nequeunt; *Fides*, vt ait Eusebius Emissenus, seu verius Eucherius Lugdunensis, *est lumen animæ, Ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ*, Et ex S. Chrysostomo, *est Origo Iustitiæ, Sanctitatis caput, deuotionis principium, Religionis fundamentum*. Et sine illa impossibile est placere Deo; quod idem Apostolus testatur. Vnde etiam Augustinus. *Fides prima est, ex qua impetrantur cætera, quę propriè opera nuncupantur, in quibus iustè viuitur*; Fides enim docet, quæ sunt speranda, quæ amanda, quæ amplectenda, quæ fugienda, quæue timenda: Qui Deum non nouit, eius Maiestatem non veretur, eius Iustitiam non reformidat, eius Iudicium non pertimescit, eius Misericordiam, & Gratiam

Hom. 1. de Symbolo

Hom. X. in Matth.

Heb. X

De præced. Hor. c. 7.

non ſperat, eius Bonitati non fidit: Qui non exiſtimat, Deum peccatis offendi, non pauet peccare: Qui Infernum non credit, tormenta peccatoribus debita non perhorreſcit: Qui Beatitudinem non credit futuram, ad eam non ſuſpirat, nec bonorum operum labore contendit. Denique Fides eſt veluti ſpiritualis ædificij fundamentum, ſuper quo Spei parietes conſurgunt, tectum Charitatis extenditur, & variã, multipliciaque accedunt operum ornamenta. Ac propterea idem Apoſtolus ſe ipſum explicãs
Ad Rom. 2. *Qui* (ſcilicet Deus,) inquit, *reddet vnicuique ſecundùm opera ſua.* Non dicit ſecundùm Fidem
1 Cor. 13 ſuam. Et alibi; *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil ſum.*

Porrò, quòd ſpectat ad Magdalenam, ac Latronem: Magdalenæ quidem; de cuius Fide non dubitatur, non defuit Spes, qua confirmata acceſſit ad Saluatorem: non Charitas, quæ prædicatur ibi; *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum:* nec Pænitentia, quia ex dolore commiſſorum criminum lachrymis rigauit pedes Ieſu, & capillis capitis ſui terſit.

Item in Latrone non defuere ad meritum opera; quia, cuius Fides in hoc patuit, quod Dominum in tormentis poſitum confeſſus eſt,

refulsit Spes, dum palam edixit; *Memento mei cum veneris in Regnum tuum.* Charitatis fuit, quòd ei adhærere concupiuit: Et exercuit Pænitentiæ actus, qui de sceleribus suis conquestus fuerat; *Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus.* Lucæ 23

Multò minus refregatur id, quo Aduersarij suũ conantur tueri mendaciũ, quòd scilicet alioquì obscuretur Christi meritum; Quia præterquã quod Christi meritum, si obscuraretur per opera nostra, obscuraretur etiã per fidem à Lutheranis requisitam; nos fatemur quidem, Impio per Christum peccata dimitti, sed dicimus, Deum velle, ac vires tribuere, vt id proprijs etiam operibus consequamur: Nec propterea Christi meritum obscuramus, sed illustramus, & extollimus: Sicut Omnipotentiæ Dei iniuriam non facit, sed eam extollit, qui docet, eam non solùm omnia operari, ac producere, sed etiam rebus creatis vim operandi, ac producendi similia contulisse; nihil enim est, quod magis declaret excellentiam, ac perfectionem causæ, quàm si non solùm ipsa possit operari, sed etiam alijs vires ad operandum tribuere. Ex quibus plerique Patrum, ac Theologorum tradunt, & explicant, applicationem meritorum Christi fieri per opera nostra.

Quod verò etiam ea sola fide suas ipsorum vias fortunari dicāt; Secus omnino rem esse intelligerent, si Scripturas perpendere vellent, & rectè examinare præcipuè verba questionis

Hierem. 12 huius Domino à Hieremia excitatæ; *Quare via Impiorum prosperatur: benè est omnibus, qui præuaricantur, & inique agunt? Quam postea Dauid ipse attigit, atque etiam soluit*; Inquit enim;

Psal. 72 *Mei autem pænè moti sunt pedes, pænè effusi sunt gressus mei; quia zelaui super iniquos, pacem Peccatorum videns.* Mox, Diuino Spiritu reuelante, rei veritatem agnoscens, subdit; *Veruntamèn propter dolos posuisti eis: deiecisti eos dum alleuarentur: Quomodo facti sunt in desolationem? Subitò defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam.* An non vident, huiusmodi homines in felicitate positos, Impios, & Peccatores à Prophetis hìc vocari? ac proinde non ex sola fide iustificatos, & felices factos, vt ipsi asserunt? Et quæ præterea in Impio felicitas est, ex qua possit argui Iustificatio, si ea in tam apertum, exitium recidit? Quippe finis præterita indicat, adeò vt suspendendum eis sit iudicium, antequam nouissima intueantur; Nam si principiū tantummodo, vel progressus spectetur, de Im-

Psal. 36 pio quàm lætum illud, & gloriosum; *Vidi Impium exaltatum, & eleuatum sicut cædros Libani*

nil Sed quàm funestus consecuturus sit finis, audi; *Transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Vnde & rectè dicitur, nihil esse infelicius felicitate Peccantium. Sen. lib. de Diu. Prou. cap. 9

Vtinam Hæretice agnoscas, impium planè esse obiectum de Impij iustificatione Paradoxum: & fidem istam, qua te credis è vestigio euolare in Cælum, via omnino compendiaria in mortem ruere sempiternam, iuxta illud Diuinæ Scripturæ; *Ecce spes Impij frustrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur.* Iob. 4

Nec tibi de prosperis, quibus aliquando gaudes, blandiaris; Certissima enim est sententia hæc, cùm Gentilium Philosophorum, tùm etiam Christianorum Theologorum ore vulgata, & à sanis omnibus conclamata; *Maximam iram Dei esse, delinquentem Dei iram non perpeti: Summamque esse vindictam, hìc peccantem carere supplicio;* cum certò sciamus ex Oraculo Diuino; *Quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.* Psal. 30



SA-

SAGITTA X.

Seß. 7 cap. XI.

Mandatorum obseruationem nec necessariam esse, nec possibilem.

CLYPEVS.



T homines ab omni via veritatis auerteret, & ad quæuis pertraheret, atque impelleret flagitia, (ad quem vnum scopum Doctrinam direxit suam) hoc docuit Lutherus; contendens (quod piæ aures audire sine horrore non possunt,) *Non esse in tota Lege Euangelica præceptum: Nullo opere, nulla lege Christiano homini opus esse, cum per Fidem liber sit ab omni lege.* Vnde alibi; *Vide,* inquit, *quàm diues sit homo Christianus, siue baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere: Nulla peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas: Cętera omnia, si credat, vel stet fides in promissionem Diuinam baptizato factam, in momento absorbentur per eandem fidem.* Ac rursus alibi ait; *Summa ars, & sapientia Christiana est, nescire Legem, ignorare opera, & totam iusti-*

Lib. de libertate Christ.

De captiu. Babyl

Super Ep. ad Galat.

tiam

tiam actiuam. Et impossibilitatem obseruatio-nis eorumdem Mandatorum præcipuè arguit è duobus Decalogi Præceptis, Dilectionis scilicet Dei ex toto corde, ex tota anima, ex tota men-te, ex tota fortitudine; exigētis, vt censet, extre-mum posse, quod ex quolibet defectu consti-tuit reos: & non concupiscendi, per quod, vt dicit, quotidie labimur. *Deut. 6* *Exod. 20* *Deut. 5*

Mandata autem necessaria esse, ex Oraculis docemur Veritatis, vbi Discipulis suis ait; *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; docentes, eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Et alibi, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Ex quibus, & alijs innumeris, quæ ad idem congeri possent, testimonijs, constat de necessitate ea obseruandi, quæ Deus expresse obseruari præcepit: quod norunt etiam pueri. *Matt. vult* *Matth. 19*

Possibilia verò esse, ex eodem Domino probatur, dicente; *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Quippe quia etsi obseruatio sit difficilis ex naturæ corruptione, aut difficultate attingendi media, in quibus virtus consistit; facilis tamen est habenti Gratiam, & Charitatem. Vnde Dauid; *Viam mandatorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* S. Leo; *Nihil,* inquit, *est arduum humilibus.* Et S. Augusti-nus; *Matth. 11* *Psal. 118* *Serm. 1. de Epiph.*

Lib de Nat. & gr. c 69 nus; *Omnia ſunt facilia Charitati.* Proinde Sanctus Hieronymus; *Execramur*, inquit, *eorum* In expoſ. Fidei ad Damaſum. *blaſphemiam, qui dicunt, impoſſibile aliquid à Deo præceptum eſſe.* Et alibi, hoc explicans, ait; Dial. con. Pelag. lib. lib. 1. c. 17. *Poſſibilia pręcepit Deus, ſed hæc poſſibilia cuncta ſinguli habere non poſſumus, non imbecillitate naturę, ne calumniam facias Deo, ſed animi laſſitudine, qui cunctas ſimul, & ſemper non poſſit habere virtutes.*

In quo inſigniter delirat Magiſter Lutherus, 1 Tim. 1 Apoſtoli inſiſtens Oraculo; *Lex Iuſto non eſt poſita*; Nam, vt omittamus intelligentiam Gloſſæ interlinearis, id interpretantis de lege Lib. 4. c. 30 ad. Valent. peccati vel Irenæi, exponentis de lege Moyſi; intelligitur de Iuſto, qui non tamquam inuitus & coactus, ſed volens, ſuaque ſponte, quæ le- Cicero Parad. fol. 299. gis ſunt, exequitur (Verè Sapiens, de quo dicitur; *Nihil facit inuitus, nihil dolens, nihil* Li. de Nat. & grat. *coactus.*) Vnde Auguſtinus; *Sub Lege eſt, qui timore, non amore abſtinet à malo, reus in voluntate: Qui verò Spiritu Dei ducuntur, altiori ſcilicet Duce, ſub Lege non ſunt; quia perfectiora, quàm ipſa Lex iubet, amplectuntur, eo Schemate, quo ait Saluator, Non veni ſoluere Legem, ſed adimplere, ſublimiora peragens, quàm lex ipſa pręceperit.* Qui etiam ſubdit; *Præcipit quidem lex, diligere amicum, & proximum: quam non ſoluit*

Iuſtus,

Iustus, sed perficit, dum diligit etiam inimicos, dum orat pro persequentibus, & calumniantibus, dum benefacit, his, qui oderunt eum. Lex iubet castum, & honestum seruare coniugium: eam non soluit, sed perficit, cælibatum seruans, aut virginitatē amplectens: Lex dicit, Non iurabis in vanum: Non eam preuaricatur, sed perficit, cuius est sermo, est, est, non, non. Quæ Augustini expositio congruit etiam verbis, quæ immediatè annectit Apostolus, *sed iniustis*. Vnde, & benè Lex comparatur Pædagogo, qui paruulis, non iam perfectis est necessarius.

Nec quicquam aduersario suffragatur, quod is ad probandam impossibilitatem arguit ex Præcepto Dilectionis Dei ex toto corde, &c. Quia hoc Præceptum, vt illud explicat Theophylactus, non quidem exigit extremum posse, sed dilectionem super omnia, vt scilicet omnibus partibus, & virtutibus animæ ei adhæreat. Et fortasse etiam clarius explicatur à S. Thoma his verbis; *Diligamus Deum ex toto corde; vt desit error necessariorum ad credendum: Ex tota anima, idest voluntate, vt desit affectio contraria, idest peccatum mortale: Ex tota mente, idest memoria, vt desit obliuio eorum, quæ scire tenemur: Ex tota fortitudine, idest viribus sensitiuis, vt desint omnes operationes contrariæ charitati.*

Deut. 6
Sup. ead. præcepti.

In 3. dist 27

O Mi-

lib 1 c. 22 De Nupt. & conc. Minus probat; quod ad eundem finem arguit, ex Præcepto non concupiſcendi; Quia hoc, eodem Auguſtino explicante, non omnem prohibet motum concupiſcentiæ, ſed præcipit ei non conſentire; *Neque enim*, vt idem ſubdit, *eſt peccatum, quando illi ad illicita opera non conſentitur, atque, vt ea perpetrent, à Regina mente membra non dantur, vt, ſi non fit, quod ſcriptum eſt, Non concupiſces; fiat, quod alibi legitur, Poſt concupiſcentias tuas non eas.* Hæc ibi Auguſtinus. Qui etiam alibi; *Non*, inquit, *debet diſplicere iudicium Dei, qui concupiſcentiam ad agonem, & exercitium virtutis remanere voluit: & Apoſtolo ſuo dixit, ſufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.*

Eccl. 18

lib. X. Con cap. 28

1 Cor. 12

Quàm verò temerarium ſit, quod Aduerſarij noſtri hac occaſione inuehantur contra Leges omnes Chriſtianorum, ex Sanctæ Eccleſiæ admirabili in cunctis rebus diſponendis pietate, ac manſuetudine recognoſce; quæ non ſolùm Dei Mandata omnia & venerata eſt, & executa, ſed ea etiam, quæ à Iuriſconſultis, quos aliquando hoſtes habuit infenſiſſimos, ſcripta eſſent, rationi conſentientia, ac veritati, minime ſpreuerit, ſed interdùm in cauſis adiudicandis vſa ijſdem fuerit: quippe quæ veritatis ſtudioſiſſima, penes quemcumque inuenerit

rit illam, consueuit vt amicam sibi coniungere, atque vt propriam vindicare. Quod ne gratis dictũ i jdẽ Aduersarij asserãt; Vt taceam de Christiano Principe Iustiniano, qui ex omnibus Iurisconsultis Gentilibus Imperatoribus omne ius vetus enucleauit, ordine digessit, & obseruandum cunctis sibi subditis præscripsit; ex S. Gregorio Papa intelligãt, qui citat textum Papiniani, quem patet vnum fuisse ex ijs, (& quidem Magistrum) qui in Christianos parum æqui sub Alexandro Romanam Rempublicam administrabant. Qua etiam ratione Diocletiani, & aliorum Principum, qui extiterunt in Christianos acerbissimi hostes, aliquando Rescriptis, vel Edictis vsi sũt Christi fideles, vt planè appareat, Ecclesiam in illis odisse tantummodò perfidiam, & impietatem: At è contra veritatem, ac recti rationem in hostibus etiam amasse, atque secutam esse. Lib. 18 Ep. 54 l. Famsi ff. hoc tamen C. ad l. Iul. Maiest.

Desine igitur, qui tàm impiè Dei Mandata, ac Leges omnes contemnis, contra Cælestes, ac Terrenas Potestates superbire, eorum memor, quæ tuba Dauidica canit; *Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis*; Nam Superbia semper sibi, non alijs ruinam minatur. Quod vniuersa Scriptu- Psal. 87 Psal 67.

rarum Cælestium testatur authoritas. Sicut etiam per eumdem Prophetam dicitur
Psal. 100. à Spiritu Sancto; *Non habitabit in medio Domus meæ, qui facit superbiam.*



SA-

SAGITTA XI.

Liberum Arbitrium rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, & figmentum à Satana inuentum. Sess. 6. Can. 2. & seqq.

CLYPEVS,



Vmmam rerum suarum in Doctrina *de Arbitrij*, vt vocat, *seruitute* constituens Lutherus, *Liberum Arbitrium*, contendit, *rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, & figmentum à Satana inuentum.* Eius verba sunt; *In cæteris Articulis de Papatu, de Concilijs, de Indulgentijs, alijsque non necessarijs nugis, ferenda est leuitas, ac stultitia Papæ, ac suorum; Sed in hoc Articulo de seruitute Arbitrij, qui omnium optimus, ac rerum nostrarum summa est, dolendum, & flendum est, miseros sic insanire.* Cui adhærens Caluinus docet, *omnia ineuitabili necessitate fieri: hominemque non posse vias suas bonas facere, aut malas:* Et contrariam assertionem pugnare cum Gratia, ac Præscientia Dei.

In Assert. Art. 36.

Inst. lib. 1. ca. 16. §§. 8.

Vterque autem mendacij conuincitur vel

ſola ratione, quòd, ſi nulla eſſet Arbitrij Libertas, nullum eſſet propriè peccatum, & nemo eſſet pæna dignus; non enim pænam meretur, qui neceſſitate cogente agit: Vnde nec vllus eſſet Infernus, nec vindicta poſt hanc vitam vlla. Et, ſi Deus æquè mala, ac bona operaretur in nobis, non eſſet, quòd conaremur, mala euitare, aut timeremus propter illa vltionem; nullus enim eius eſt vltor, cuius eſt author. Ac proinde Auguſtinus, (quem vnum ex omni vetuſtate ſobrium in hac cauſa fuiſſe Caluinus dicit) *Neque hìc, inquit, libri obſcuri mihi ſcrutandi erant, vnde diſcerem, neminem vituperatione, ſupplicioue dignum, qui id non faciat, quod facere non poteſt. Nonne iſta cantant & in montibus Paſtores, & in theatris Poetę, & Indocti in circulis, & Docti in Bibliothecis, & Magiſtri in Scholis, & Antiſtites in Sacris locis, & in Orbe terrarum Genus humanum.*

Lib. de 2. Animabus Con. Manic.

Et nihilominus, vt res ipſa ex clariſſimis Sacræ Scripturæ locis probari pateat, Audi Eccleſiaſticum; *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui: adiecit Mandata, & Præcepta ſua; ſi volueris Mandata ſeruare, conſeruabunt te. Appoſuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors: bonum,*

Cap. 15.

num,

num, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Et pridem Deus ad Cain iratum edixerat; *Quare concidit vultus tuus? Nonne si benè egeris, recipies; sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? sub te erit appetitus eius: & tu dominaberis illius.* Quæ quidem loca adeò pro Libertate Arbitrij sunt perspicua, vt nulla egeāt declaratione. Gen. 4.

His adde alias Sacras Scripturas, quibus passim Deus imperat, præcipuè verò; *Non habebis Deos alienos coram me: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: Honora Patrem tuum, & Matrem tuam*: Illasque, quibus sub conditione pollicetur; *Si vis ad vitam ingredi, serua Mandata: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, &c.* Ac rursus illas, in quibus redarguit, Vt ibi; *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti*; Si enim in Arbitrij libertate non esset, parere, aut non parere, conditionem implere, aut non implere, peccare, aut non peccare, frustra omnino Deus imperaret, incassum sub conditione promitteret, iniustè comminaretur, aut redargueret. Exod. 20.

Et quia idē Lutheri Suffraganeus Caluinus in hoc admittit, vt de controuersia Iudices sedeāt veteres Patres: quos tamen contra se stare vel ipse fatetur, vbi loquens de Patribus Liberum Lib. 2. aduersus Pighium.

Arbitrium

Inst. lib. 2. cap. 2. ff. 4. Arbitrium profitentibus, ait; *Nimis philosophicè hac de re locuti sunt, qui se Christi iactabant esse Discipulos.* Eos ego è tribus Orbis partibus, Asia, Africa, Europa ad Congregationem euocabo, qui Catholicam de Libero Arbitrio veritatem confirment.

Ex Asia S. Iustinus Martyr; *Nisi,* inquit, In Apol. ad Imp. Anto. *Libero Arbitrio Genus humanum & res turpes fugere potest, & pulchras, & bonas sequi, extra causam, culpamque est eorum, quæ aguntur: sed ipsum libero Arbitrio, liberaque voluntate & rectè facere, & peccare docemus.*

Sup. Matth. cap. 16 Origenes, scribens contra Hæreticos, asserentes duas naturas in Deo, vnam bonam, malam alteram, ait; *Huic intellectui repugnant omnes Scripturę declarantes, esse Liberum Arbitrium, dum & accusant eos, qui delinquunt, & probant eos, qui rectè faciunt.*

Lib. 6. de Prepar. Euang. cap. 5. Et Eusebius Cæsariensis ita edisserit; *Per legem rectam viam ostendit* (Deus); *Per liberam verò potestatem effecit, vt in ipso essent virtutis præmia, sinè vi aliqua agere, cum possit etiam contraria mala.*

Con. Marcionem. Ex Africa Tertullianus; *Liberum,* inquit, *& sui Arbitrij, & suæ potestatis inuenio hominem institutum.* Et ne obijceres, eum locutum de prima institutione, quæ deinde per pecca-

tum

tum fuerit immutata, addidit; *Hunc eius statum confirmauit etiam ipsa Lex, tunc à Deo posita; Non enim poneretur Lex ei, qui non haberet obsequium debitum Legi in sua potestate: Nec rursus comminatio mortis trangressioni adscriberetur, si non & contemptus Legis in Arbitrij Libertatem homini deputaretur.*

Lactantius item eidem hominis Libertati subscribit, dicens; *Qui dat præcepta, amputare debet omnium excusationum vias, vt imponat hominibus parendi necessitatem, non vi aliqua, sed pudore, & tamen libertatem relinquat, vt & præmium sit constitutum parentibus, quia poterant non parere, si nollent, & non parentibus pæna, quia poterant parere, si vellent,* Li. 4. diuin. Inst. c. 24.

Ac Diuus Cyprianus de malis, quæ fieri Deus permittit, & patitur, ait; *Fieri hæc Dominus permittit, & patitur, manente propriæ Libertatis Arbitrio.* Lib. de & Ecclesiæ vnitate.

Denique ex Europa S. Hilarius; *Vnicuique nostrum,* inquit, *Libertatem vitæ, sensuumque permisit (Deus) non necessitatem in alterutrum affigens.* Mox verò subdit; *Quia enim honoris, ac præmij bonitatis necessitas mereretur, cum malos esse vis quædam nobis conserta non sineret?* Sup. Psal. 2.

S. Ambrosius; *Non est, quod cuiquam nostram adscribamus culpam, nisi nostræ voluntati;* Lib. 1. de Iacob. c. 3.

ti: nemo tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit: Voluntarium sibi seruum Diabolus auctionatur.

Epist. ad Damasum de Filio Prodigo.

Et S. Hieronymus; *Dedit eis Liberum Arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, & vt viueret vnusquisque, non ex imperio Dei, sed ex obsequio suo, idest, non ex necessitate, sed ex voluntate.* Atque alibi; *Hoc est, quod tibi in principio dixeram, in nostra esse potestate, peccare, vel non peccare, vt Liberum seruetur Arbitrium.*

In Dial. aduersus Pelagianos

Cui quidem tantorum Patrum Congregationi si aliquos etiam ex summis Pontificibus interesse, vel præesse velis, S. Clemens Romanus in Libris Recognitionum, quos illius esse agnoscunt, & fatentur Eusebius, Epiphanius, & Ruffinus; inducens Petrum Apostolum cum Simone Mago pro Libero Arbitrio disputantem; *Dic*, inquit, *quomodo Deus iudicat secundùm veritatem vnumquemque pro actibus suis, si agere aliquid in potestate non habuit? Hoc si teneatur, conuulsa sunt omnia: frustra erit studium sectandi meliora: sed & Iudices frustra legibus præsunt, & puniunt eos, qui male agunt; non enim in sua potestate habuerunt, vt non peccarent.*

Lib. 3. Hist. Hæresi 30. In Apol. pro Orig.

Et S. Gregorius Primus de Reprobis, *Idcirco*, ait, *nequaquam cælestis gratiæ præmia percipiunt,*

Lib. 33 Moral. c. 25

quia tunc, dum promereri poterant, ex Libero Arbitrio contempſerunt.

Neque verò hæc Aſſertio pugnat cum Gratia, aut cum Præſcientia Dei; Nam, vt omittamus opiniones, quas noſtri inſtituti non eſt, approbare, aut reijcere;

Quod ſpectat ad Gratiam; *Auxilio*, inquit S. Chryſoſtomus, & ijſdem verbis repetit Cæleſtinus Primus, *Auxilio, & munere Dei Liberum Arbitrium non tollitur, ſed liberatur, vt de tenebroſo lucidum, de prauo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit prouidum.* Et S. Leo IX. ait; *Gratiam Dei præuenire, & ſubſequi hominem, credo, & profiteor, ita tamen, vt Liberum Arbitrium rationali Creaturæ non denegem.*

Ep. de Adã & Eua.

Ep. ad Gal. cap. 3

Epiſt. ad Petrum Antioch.

Quòd item ſpectat ad Præſcientiam: *Nullo modo*, inquit Auguſtinus, *aut, retenta Præſcientia Dei, tollimus Voluntatis Arbitrium, aut, retento Voluntatis Arbitrio, Deum (quod nefas eſt) negamus præſcium futurorum; ſed vtrumque amplectimur, vtrumque fideliter, & veraciter confitemur.* Cui accedit Ambroſius, dicens; *Contra hanc veritatis ſplendidiſſimam lucem ſolent quidam non ſobriè dicere, ſuperfluò ad requirenda bonorum operum merita laborari: fruſtrà etiã orationibus, quibus Deus exorandus eſt, inſiſti, ſi ex incommutabili propoſito eius Chriſtianæ Gra-*

Lib. 5. de Ciuit. Dei.

Lib. de voc. Omnium gentium.

tiæ subsistit electio, nec aliter quicquam procedere potest, quàm Omnipotentis Dei voluntate dispositum est. Sed qui ingeniosè hoc se arbitrantur opponere, non intelligunt, scientiam Dei, qui & præterita, & præsentia, & futura complectitur, tempore non teneri: & tàm in conspectu eius adstare, quæ gerenda sunt, quàm illa, quæ aut geruntur, aut iam sunt gesta. Quod cum verissimum sit, non indiget mora cernendi, aut discernendi illa virtus, quæ perpetuo, veroque contuitu creata, & creanda simul aspicit: & quidquid in vniuersitate rerum per sæcula præfinita euoluitur, ac multimodis varietatibus explicatur, id totum in eo iam ordine comprehendit, quem ex ipsius summo illo, perfectoque iudicio Mundi huius finis accipiet. Hæc Ambrosius. Non igitur Satanæ inuentum est Liberum Arbitrium, sed summum Dei beneficium: Per quod, vt expendit egregiè S. Hieronymus, à cæteris animantibus distamus, & ad exemplum Dei permissum est nobis facere, quod velimus. De quo etiam S. Bernardus; *Arbitrij,* inquit, *Libertas est planè Diuinum quiddam præfulgens in anima, tãquam gemma in auro: quod & summum Naturæ nostræ splendorem, atque ornamentum adfert: & nullis criminibus aboleri, nullis calamitatibus minui, nulla externa vi labefactari, destruine potest.*

Epist. ad Damasum de Filio prodigo.

Serm. 81. in Cantica

SA-

SAGITTA XII.

Humanum planè Sacramentorum inuentum septem capitibus bestiæ Apocalypsis significari, per quam Antichristus designatur. *Sess. 7 de Sacramentis.*

CLYPEVS.



Tsi nostri temporis Sectarij catholicè de Sacramentis loqui, & Baptismum saltem, & Eucharistiam admittere videntur, ea tamen, re ipsa, vi spoliant, & efficacia; contendentes, illa nihil operari nisi per Fidem, quæ secundùm eos sola iustificat: Et illorum omnium impudentissimusKemnitius ausus est blasphemare, *Septem Sacramenta significari septem capitibus bestiæ Apocalypsis, per quam designatur Antichristus.* *In Prima p. Examinis pag. 18. & 25.*

Hos autem omnes in ipso veritatis meridie non videre, hinc conijce, quòd Baptismum, & Eucharistiam esse Sacramenta, non solùm testantur, ac probant Theologi omnes, sed fatetur idē ipse Kemnitius ex Iustino, Irenæo, Tertulliano, Cyrillo, & Ambrosio: *Ibidem*

Quod

Lib.4.c.19 §.3 Quod ipsum fatetur in suis Institutionibus Caluinus ex Augustino.

De Diuina Confirmationis Institutione exstat Veritatis ipsius Oraculum ad homines Lucæ vlt. iam baptizatos, ac Iustos; *sedete in Ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Et alibi; *Acci-* Act.1 *pietis virtutem superuenientis Spiritus Sancti in* Act.8 *vos.* Et in Actis Apostolicis refertur, Petrum, & Ioannem eam contulisse Sammaritanis per manus impositioнẽ. Vnde Tertullianus; *Caro,* lib. de Resur.Carn. inquit, *abluitur, vt anima emaculetur: Caro vngitur, vt anima consecretur: Caro signatur, vt anima muniatur: Caro manus impositione obumbratur, vt anima Spiritu illuminetur.* Cum Epist. 70 quo consentit Cyprianus, dicens; *Vngi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, vt, accepto Chrismate, hoc est vnctione, esse vnctus Dei, & habere in se Gratiam Christi possit.* Et Melchia- In suo dec. des Papa, & Martyr ait; *In Fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam; In Confirmatione augmentum præstat ad gratiam: Regeneratio in se saluat mox in pace Beati Sæculi recipiendos; Confirmatio autem armat, & instituit ad agones Mundi huius, & prælia reseruandos.*

Ion.20. Pænitentiæ Diuina Institutio clarissimis constat Domini verbis ad Apostolos; *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum*

reti-

retinueritis, retenta sunt. Atque alibi; *Quacunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cælo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in Cælo.* Vnde S. Leo; *Multiplex,* inquit, *misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per* Pænitentiæ *medicinam spes vitæ reparetur æternæ.* Et S. Chrysostomus de Sacerdotibus ait; *Neque solùm, cum nos regenerant, sed etiam postea condonandorum nobis peccatorum potestatem obtinent.* Mat 18. Ep. 91. ad Theodorũ. lib. 3. de Sacerdotio

Extremæ item Vnctionis probatur Diuina Institutio ex Apostolo Iacobo, dicente; *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & Oratio Fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei,* Vnde Augustinus; *si roges,* inquit, *de te, & pro te fieri, sicut dixit Apostolus Iacobus, immo per Apostolum suum Dominus, ipsa Olei Sacri delibutio, intelligitur Spiritus Sancti typica vnctio. Effectum huius Sacramenti exprimit ipse Iacobus, dum ait, Si in peccatis sit, dimittentur ei. Materiam designauit, Oleum Sacrum. Quibus dandum sit Sacramentum, insinuauit, dicens; Infirmatur quis.* Et alibi; *Oleum enim visibile in signo est, Oleum in-* Iac. 5 lib. 2. de Visit. Infir.

uisibile

uisibile in Sacramento est: Oleum Spirituale intus est, Oleum visibile exterius est. Ac tursus; *Quoties aliqua infirmitas superuenerit, corpus, & sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat: ac inde corpusculum suum vngat, vt illud, quod scriptum est, compleatur in eo, Infirmatur quis in vobis? &c.*

Præterea, quod spectat ad Ordinem, Diuinam illius institutionem testatur Apostolus, ibi; *Admoneo, vt resuscites gratiam, quæ in te est, per impositionem manuum mearum.* Et de illo, sanè aureo suæ eloquentiæ flumine, S. Chrysostomus ita perorauit; *Sacerdotium in terra peragitur, sed in rerum Cælestium classem, ordinemque referendum est: atque id perquàm meritò; quippe non Mortalis quispiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata potentia, sed ipse Paracletus Ordinem eiusmodi disposuit.* Vnde etiam Augustinus, loquens de Sacramentis Baptismi, & Ordinis; *Vtrumque*, inquit, *Sacramentum est, & cum quadam consecratione vtrumque homini datur, illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur.*

2 Tim. 1

lib. 3. de Sacerdotio

Lib. 2. c. 2 con. Parm.

Demum quod spectat ad Matrimonium; Quale hoc sit Sacramentum, audi ex Apostolo, qui postquam Coniuges ad mutuam beneuolen-

Ep. ad Ephesios c. 1

uolentiam esset hortatus, & dixisset, futurum, vt relinquat homo Patrem, & Matrem, & adhæreat Vxori suæ, & sint duo in carne vna; *Sacramentum*, inquit, *hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Vbi S. Ambrosius; *Quod*, inquit, *Sacramentum asserit magnum in Christo, & Ecclesia Apostolus, Mysterij Sacramentum grande in vnitate Viri, & Fœminæ significat.* Et ante eum Clemens Alexãdrinus, *Si Lex Sãcta est, sanctũ est Matrimoniũ, Sacramentũ ergo hoc ad Christum, & Ecclesiã ducit Apostolus.* De quo quidem Sacramento S. Augustinus ait; *Non tantùm fœcunditas, cuius fructus in prole est, nec tantùm pudicitia, cuius vinculum est Fides; verùm etiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur Fidelibus coniugatis.* Ac rursus; *Vsque adeo fœdus illud initum nuptiale cuiusdam initi Sacramenti res est, vt nec ipsa separatione irritum fiat.* Et S. Chrysostomus, exponens Pauli textum; *Re vera*, inquit, *Mysterium est, magnum Mysterium, relicto eo, qui genuit, eo, qui aluit, etiam ea, quæ peperit, quæ miserè, & cum dolore parturiuit, adhærere Virum illi, quæ antea neque visa sit, atque hanc omnibus præferre: Verè mysterium est: & Parentes etiam cum ista fiunt, non offenduntur.* Et alibi; *An non audis Paulum dicentem, quod Sacra-*

Lib. de Nuptijs & Concupisc. Cap. 10

Hom. 20 Sup. de Ep.

In Genes Hom. 56

mentum sunt nuptiæ, & imago dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam declarauit?

Ac proinde in Concilio Florentino in Instructione Armenorum etiam Græci omnia septem Sacramenta admiserunt. Et longè ante idem Concilium Lucius Papa tertius damnauit omnes contrarium affirmantes, his verbis; *Quicunque de Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire, ac docere non metuunt, quàm Sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, & obseruat, vinculo perpetui anathematis innodamus.*

Cap. ad abolendam de Hæret.

Et Theologi omnes tradunt, per hæc Sacramenta necessariò incedendum ad Cælestem Hierusalem, in qua Ciues conscripti sunt Christiani omnes; Siquidem, vt ijdem Theologi explicant, Baptismus, & Pænitentia sunt necessaria simpliciter; Baptismus quidem omnibus, Pænitentia ijs, qui post Baptismum lethaliter deliquerunt: Eucharistia, Confirmatio, & Extrema vnctio necessaria sunt necessitate medij, vt loquuntur Scholastici, ad bene esse: Ordo necessarius est, non singulis hominibus, sed ipsi Ecclesiæ in vniuersum simpliciter: Ipsique Ecclesiæ itidem in vniuersum, non autem singulis hominibus, est necessarium, Matrimonium ad bene esse. Quorum explicationem libenter omittimus, festinantes ad alia.

His

His demùm omnibus Francisci Primi Gallorum Regis exemplum adijcimus, qui; *Cum primùm*, (Surij sunt verba) *Sacramentariorum Secta eius Regnum inuasit, vehementer commotus, quanta maxima potuit religione, atque ceremonia, indictis solemnibus supplicationibus, pedes ipse, detecto capite, facem gestans ardentem, cum Regina Leonora, Regijsque Liberis, & Aulę Primoribus, omnique Populo, pro concione omnes ad exterminandam eam hæresim, nulla ratione aut generis, aut amicitiæ habita, hortatus est; testatus etiam, se vel suum sibi brachium recisurum, si ea contagione infectum putaret.* Factum, inquam, tanti Regis adijcimus, vt non Scripturis solùm, & authoritatibus, sed insigni etiam exemplo ad hæresim hanc detestandam inuiteris. *In Hist.*



SAGITTA XIII.

Seſſ. 7 Can. 13

Præſtare Baptiſmum in Paruulis omittere, quàm eos baptizare ſine Fide.

CLYPEVS.



EX Pædagogia hoc prodijt Lutheri : Vnde plurimæ obortæ ſunt Anabaptiſtarum Sectæ, abſurdum putantes, Paruulos baptizare ſine Fide : ac proinde ſatius exiſtimantes, Baptiſmum in ijs omittere, & non niſi credentes actu baptizare. Quod vt aliqua authoritate adſtruant, abutuntur eo, quòd olim S. Cyprianus ſenſerit, baptizatos in Hæreſi, vel Schiſmate rebaptizandos, cùm ad vnionem redierint Eccleſiæ.

Eundem verò Pædagogum, & Sectatores eius grauiter erraſſe, & errare, ex Magiſtro didicimus veritatis, qui non ſolùm in Veteri Teſtamento Circumciſionem inſtituit, quæ Baptiſmi figura fuit, & cuius nomine S. Paulus vocat etiam ipſum Baptiſmum, voluitque, vt Infantes octaua die circunciderentur; ſed etiam in Nouo gene-

Gen. 17

Coloſ. 2

generatim dixit; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Et apud Matthæum, Marcum, & Lucam (quod plerique de baptizandis interpretantur); *Sinite*, inquit, *Paruulos venire ad me; talium enim est Regnum Cælorum.* Idemque S. Lucas loco verbi, *venire*, vtitur verbo, *afferri*, quod certè non competit nisi Infantibus, ibi; *Afferebant autem ad illum & Infantes, vt eos tangeret.* Ioan. 3. Math. 19 Marc. 10 Luca 18

His accedit, quòd inualuisse constat hunc morem ab ipso Ecclesiæ nascentis initio: habemus enim, Lydiam ab Apostolis baptizatã, & Domum eius. Ac de Custode carceris Pauli, & Silæ dicitur; *Baptizatus est ipse, & omnis Domus eius continuò:* Itemque habetur, à S. Paulo baptizatam fuisse Stephanæ Domum. In quorum quidem domibus verisimile est, non defuisse Infantes. Ibidem 1. Cor. 1

Et ipsos Infantes baptizandos esse ex Apostolica Traditione, inter alios censet Origenes, dicens; *Ecclesia ab Apostolis Traditionem suscepit, etiam Paruulis Baptismum dare.* Lib. 5. in cap. 6. ad Rom.

Approbarunt ex antiquissimis, ac sanctissimis Pontificibus complures: Clemens Primus in Libro Constitutionum Apostolicarum; Siricius in Epistola ad Himericum; Innocentius Lib. 6. c. 5 Ep. 1. c. 12 Ep. 26

Primus

Ep. 84 alias 86 Primus in Epistola ad Cócilium Mileuitanum; Lib. 3 Ep. 9 Leo Primus in Epistola ad Episcopum Aquileiensem; Gregorius Primus in Epistola ad Cap. Maiores de bap. Episcopum Arelatensem; quæ etiam refertur in Decretalibus Gregorij Noni. Sanxerunt idẽ & Generalia Concilia: Viennense, relatum in Clementina Prima de summa Trinitate, & Fide Can. 5 Catholica: Gerundense, ante annos mille celebratum; Quod adijcit, Infantes, si mortis immineat periculum, baptizari posse etiam in die, quo nascuntur. Et Mileuitanum contra hoc negantes inquit; *Placuit, vt qui Paruulos recentes ab vberibus Matris baptizandos negat, anathema sit.*

Nec verum est, quod Lutherus veluti compertum supponit, Infantes baptizari sine Fide; Quia in eis ipsum baptizari est credere, actio ipsa est Fidei professio: Quemadmodum etiam de Sanctis Innocentibus Ecclesia canit; Lib. 1 de Peccator. Meritis cap. 27 *Non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* Vnde Augustinus; *Paruuli actu credunt, partim re ipsa, dum baptizantur, partim aliena Fide.* Et Ser. 10. de Verbis Apostoli alibi; *Accommodat Mater Ecclesia Infantibus aliorum pedes, vt veniant; aliorum cor, vt credant; aliorum linguam, vt confiteantur.* Ac Lib. de. c. 22 con. 2. Ep. Pelagij. rursus, Diuinæ in hoc dispositionis rationem ponderans, ait; *In Ecclesia Saluatoris per alios*

Paruuli credunt, ſicut ex alijs ea, quæ in Baptiſmo illis remittuntur, peccata traxerunt. Alio loco eadem de re; *Mirabile eſt*, inquit, *& tamen verum, quòd in multis Deus non habitat, qui eum norunt, vt in Philoſophis, de quibus Apoſtolus ait; Cum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt: Et contra in multis habitat, qui eum non norunt, vt in Paruulis baptizatis.* Quinimmo S. Hieronymus peccato obſtrictos declarat Parentes Chriſtianos, quorum Infantes non baptizantur in ætate, qua contradicere non poſſunt.

Ep. ſſ. ad dardanum.

Epiſt. ad Lætam

Quare de Diuo Ambroſio ferunt, quòd in eo multus fuit, vt prauam illam conſuetudinem, quæ tàm in Occidente, quàm etiam in Oriente vſu temporis coaluerat, qua Fideles quàm plurimi vſque ad prouectiorem ætatem Baptiſmum differrent, vt malum germen ex Agro Dominico penitus euelleret: Et quod ſe feciſſe doluit, ab alijs ne in poſterum fieret, vehementer admonuit. Præſtiterunt hoc ipſum apud Orientales Baſilius, atque Gregorius Nazianzenus, necnon Gregorius Nyſſenus, vt ipſorum de Baptiſmo editæ Orationes ſignificant.

Et cum in vniuerſa penè Africa inualuiſſet Donatiſtarum error baptizatos rebaptizandi;

poſt

postquàm ad annos adultæ, ac perfectæ rationis peruenissent, Concilio Carthaginensi sub
Conc.I.c.I anno 348. Grato Episcopo in eam rem celebrato, eodemque Episcopo sentẽtias singulorum rogante, *An ferendus amplius esset in Africa Anabaptismus*, vna omnium fuit illa responsio: *Absit, absit; Illicitas esse sancimus rebaptizationes, & esse alienas à sincera Fide, & Catholica disciplina.*

Easdemque iterationes, quandocunque Baptismus fuit semel rite collatus, In nomine Patris, & Filij, & Spiritu Sancti, (sub qua forma conferri debere ipse Christus Dominus præscripsit Apostolis) detestabiles prorsus esse,
Lib.7.c.17 ingenti Deus declarauit miraculo, à Socrate relato, in personam Iudæi cuiusdam, qui per Arianos, siue per Macedonianos, hac forma non vtentes, nulliter baptizatus, ac deinde ritè Sacro Fonte per Atticum Episcopum Constantinopolitanum ablutus, rursus baptizari petijt à Paulo Nouatiano, qui illi suffectus est. Sic Socrates; *Iudæus quidam veterator Christianam Fidem simulans, sæpius baptizatus fuit: per quam fallaciam multas corrasit pecunias. Postquàm autem multos ex varijs Sectis homines (Arianorum enim, & Macedonianorũ Baptismum receperat) dolo ludificatus, non habebat amplius,*

quibus

quibus imponeret, tandem ad Paulum Nouatianum Episcopum venit: ait se magna cupiditate Baptismi recipiendi flagrare: per eius manum vt illud assequatur, orat. Paulus eius probat institutum: verùm se non priùs illi Baptismum daturum ait, quàm sit Fidei Articulis instructus, diesque quamplures ieiunijs vacauerit. Iudæus contra voluntatem ieiunare coactus, acriter instare, vt Baptismo donaretur. Paulus quoniam illum, tam obnixè Baptismum petentem, mora nolebat offendere, parat res ad Baptismum necessarias: cumque vestem candidam pro illo emisset, & alueum Baptisterij aqua impleri iussisset, Iudæum eò deduxit, vt illi Baptismum impertiret: verùm aqua vniuersa, Diuina quadam virtute, quæ oculis cerni præcipuè non poterat, subitò exhausta est. At cum neque Episcopus, neque alij, qui aderant, accuratè considerarent, qua ratione id accidisset, sed aquam per foramen, quod in imo alueo fuit, per quod etiam aliàs aquam solebant educere, effluxisse existimarent; alueum Baptismi de integro, foraminibus vndique in eo firmè obturatis, diligenter implent. At cum Iudęus esset secundò in alueum Baptisterij deductus, aqua rursus penitus euanuit. Itaque Paulus; O homo, inquit, aut veteratoris partes agis, aut Baptismum ignorans recepisti. Quare, vbi ob miracu-

lum à multis eò concursum erat, fortè quidam Iudæum de facie nouit, eumque ab Attilo Episcopo baptizatum viderat. Hoc miraculum per Paulum Nouatianum Episcopum editum fuit. Hactenus Socrates.

Nec suffragatur Aduersarijs, quod S. Cyprianus aliquando censuerit, baptizatos in Hæresi, vel Schismate esse rebaptizandos, cum ad vnitatem redierint Ecclesiæ; Quia, vt ex Actis Concilij Carthaginensis clarum est, idem Cyprianus, audita Concilij sententia, statim opinionem correxit suam. Vbi hoc nullatenus est prætereundum, quod Augustinus notat; *Plerumque Doctoribus minus aliquid reuelari, vt eorum patiens, & humilis Charitas, in qua fructus maior est, comprobetur*: Atque, *In nullo aliter sapere, quàm res se habeat, Angelorum perfectionis esse.*

In Prin. & In Ep. 15 ad Quin.

Lib. 2. c. 5 de Baptis.

Quòd si eiusdem Cypriani Doctrinam velis discere, ipsum audi, Concilij sensum referentem his verbis; *Hæc fuit in Concilio nostro sententia, à Baptismo, atque gratia eius, qui omnibus & misericors, & benignus, & pius est, neminem per nos debere prohiberi. Quod cū circa vniuersos obseruandum sit, ac retinendum, tùm magis circa Infantes, ac recens natos obseruandum putauimus.*

Lib 3. Ep. 8 ad Fidem Episc.

Tu ergo, qui S. Cyprianum ſecutus es errantem, ſequere confitentem: Et erroris tui ſordes in Sacrum huius Baptiſmi Fontem immerge; Non enim error, ſed peruicax obſtinatio Hæreticum facit; Nec omnes Hæretici dicendi ſunt, qui opinionem ſequuntur erroneam, ſed qui pertinaciter, & audacter prædicant falſitatem.



SAGITTA XIV.

Seff. 13 Cap. 4 *Corpus Christi, quod nouo prorsus Transubstantiationis Dogmate Tridentina Synodus asserit, verè non esse in Eucharistia; & Papisticam insaniam esse, à Dei potentia exquirere, vt faciat in ea carnem simul esse, & non esse carnem.*

CLYPEVS,



AEmulatus Lutheri impietatem Caluinus, seque, ac suo cerebro indignum putans, non aliquid noui Mundo proponere (*omnium enim Hæreticorum* (vt ait Augustinus, *Mater est superbia*.) passim negat, in Eucharistia adesse Christi Corpus: Et superbissimè in affirmantem inuectus; *Insane*, inquit, *quid à Dei potentia postulas, vt carnem faciat simul esse, & non esse carnem?* Nec erubescit asserere, vetustos omnes Scriptores, qui primis quinque sæculis floruerunt, vno ore sibi patrocinari. Et, heu nimium cæcum Mortalium genus! habet ille multos etiam hodie Sectatores, qui propterea noui à quibusdam vo-

In Gen. con. Manic. Lib. 2. c. 8

citantur Sacramentarij.

Quos tamen omnes in hoc potissimùm insanire, facili negocio demonstrabimus; Siquidem ignotum nemini est Diuinum Oraculum; *Hoc est corpus meum.* Vnde S. Basilius, Christum in Eucharistia latentem alloquens; *Qui supra,* inquit, *cum Patre sedes, & hic inuisibiliter nobiscum es.* S. Chrysostomus; *Ipsum vides, ipsum tangis; ipsum comedis.* Atque alibi; *Non Regium puerum, sed ipsum vnigenitum Dei filium accipis.* Et venerabilis Antiquitas, Origene attestante, in Ecclesiam induxit morem, vt communicaturi dicant; *Domine non sum dignus, &c.*

Matth. 26 Mar. 14 Lucæ 22 1. Cor. 11

Hom. 83. in Matth.

Hom. 6. in Diu. Loca Euangelij.

Atque adeo falsum est, vetustos omnes Scriptores, qui primis quinque sæculis floruerunt, Caluino patrocinari, vt potiùs illius impietas omnium testimonijs redarguatur, ac suffragijs condemnetur, vt habemus ex Paschasio, qui, verba Domini explicans; *Hoc est Corpus meum;* testatur, neminem omninò fuisse Ecclesiæ Latinæ, Græcæ, ac Barbaræ, modò se Christianum profiteretur, qui ausus sit negare, Carnem Domini verè esse in Eucharistia. De qua quidem veritate Carnis in Eucharistia etiam Lactantius; *Interroga vniuersos, qui Latinę linguę, nostrarūque litterarum notitiam perceperunt: Interroga*

Lib. de Inst. Sacram.

Lib. vult.

Græcos

Græcos, Armenos, seu cuiuslibet Nationis quoscunque Christianos: vno ore hanc Fidem se testabuntur habere.

Sed vt primarium aliquem ex eisdem primis quinque sæculis testem afferam: Ignatius Apostolorum Discipulus, *Panem Dei volo*, inquit, *panem Cælestem, quę est Caro Filij Dei.*

Apol. 2 ad Ant. Imp.

Ex secundo, Iustinus Martyr de Eucharistia; *Non enim*, inquit, *vt communem panem, neque vt communem potum hæc sumimus; sed quemadmodum per Verbum Dei incarnatus IESVS Christus saluator noster & carnem, & sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiam vi Verbi Dei ab ipso Eucharistiam factum cibum, ex quo sanguis, & carnes nostræ per mutationem aluntur, illius incarnati Iesu & Carnem, & Sanguinem esse edocti sumus.*

Serm. 5 de lapsis.

Ex tertio sæculo, S. Cyprianus nobis, ac veritati hac de re his verbis suffragatur; *Panis iste, quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est Caro: Et sicut in Persona Christi humanitas apparebat, & latebat Diuinitas; ita Sacramento visibili ineffabiliter Diuina se infundit essentia.*

Catech. 4

Ex quarto, S. Cyrillus Hierosolymitanus; eadem de re ait; *Cum Christus ipse sic affirmet,*

ac dicat de pane; Hoc est Corpus meum; Quis deinceps audeat dubitare? Et eodem quoque confirmante, ac dicente de vino; Hic est Sanguis meus; Quis vnquam dubitet, ac dicat, non esse illius Sanguinem?

Ex quinto denique sæculo, S. Ioannes Chrysostomus, prædictis omnibus subscribit in hæc verba; *O miraculum, O Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, in illo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se se ipsum tradit volentibus illum excipere, & amplecti.* Lib. 3. de Sacerdotio

Reliquos sequentium sæculorum Patres, quos contra se stare Caluinus non negat, sedulò omitto, Præsertim quia nemini, generalium Conciliorum Doctrina vel leuiter erudito, ignotum est, Latheranense, sub Innocentio Tertio celebratum, hoc habere in primo decreto; *Christi Corpus, & Sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis, ac vini veraciter continentur.* Et Viennense, celebratum sub Clemente quinto, non solùm plura habet de hac veritate testimonia, sed decreto inhærens Vrbani quarti, eius etiam Mysterij Festum celebrari iussit. Eandem Catholicam veritatem præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia approbarunt Concilia Constantiense sess. 13. & Florentinum in decreto de vnione cum Græcis, & In

Instru,

Instructione, quam tradit, Armenorum.

Quòd verò, vehementioribus adhuc perfidiæ ventis actus, & in Catholicam Eucharistiæ veritatem, qua laborabat animi deprauatione inuectus, Caluinus dixit; *Nouum esse, ac peregrinum Dogma Transubstantiationis panis, ac vini in Christi Corpus, & Sanguinem, & vetustatis patrocinio destitui;* vel solis Domini verbis refel-
Matth. 26. litur; *Accipite, & manducate, Hoc est Corpus meũ.* Etenim, cum Dominus acceperit in manibus panem, benedixerit, ac dederit Discipulis, & de illo dicat; *Hoc est corpus meum*; vtique quod specie panis continetur, verè, & propriè non est amplius panis, sed Corpus Christi.

Cuius quidem Catholicæ veritatis, vt aliquem saltem referam Assertorem, post Ignatiũ, ac Iustinum, Apostolorũ temporibus proximos,
Lib. 4. c. 43 qui eam attestantur locis supra relatis: profero ex secundo Sæculo Irenæũ, dicentem; *Quomodo constabit eis, panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse Corpus Domini sui? hoc enim verum esse non potest sine mutatione panis in Corpus Domini.*

Lib. 4. in Marcionẽ. Ex tertio, adest Tertullianus, dicens; *Acceptum panem Corpus suum facit, dicendo; Hoc est Corpus meum. Panis autem Corpus fieri non potest sine sui mutatione.*

Ex quarto, Gregorius Nyssenus rerum naturã

mutari

mutari expressè affirmat his verbis; *Rectè Dei Verbo significatum panem in Dei Verbi Corpus credimus immutari.* *Oratione Catechesi. 1. 47.*

Ex V. S Augustinus, eandem panis mutationem in Corpus attestans, ait; *Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit Corpus Christi.* *In c. 6. Primæ ad cor.*

Ex VI. S. Remigius Rhemensis eidem veritati adstipulatur, dicens; *Caro, quam Verbum Dei Patris assumpsit in vtero Virginali in vnitate suæ personæ, & panis, qui consecratur in Altari, vnum Corpus Christi sunt; sicut enim illa caro Corpus Christi est, ita iste panis transit in Corpus Christi, nec sunt duo corpora, sed vnum corpus.* *Ibidem*

Ex VII. S. Gregorius Primus cõfirmat id ipsum his verbis; *Præscius Conditor nostræ infirmitatis, ea potestate, qua cuncta fecit ex nihilo, panem, & vinum aqua mixtum, manente propria specie, in Carnem, & Sanguinem suum Spiritus sui sanctificatione conuertit.* *Paul. diac. in vita Greg.*

Ex VIII. S. Ioannes Damascenus de eadem transmutatione hæc habet; *Panis, vinumque, & aqua per inuocationem, & aduentum Spiritus sancti supernaturaliter transmutatur in Corpus, & Sanguinem Christi, & non sunt duo, sed vnum, & idem.* *In 4. lib. de Fide c. 14.*

Et ex proximè ſequentibus ſæculis (vt reliqua ſtudio breuitatis omittam) Theophilactus; *Transformatur*, inquit, *arcanis verbis panis ille per myſticam benedictionem, & acceſſionem Sancti Spiritus, in Carnem Domini.* Ac S. Fulbertus Carnotenſis, Anteceſſorum ſuorum tantæ veritatis teſtimonijs digno planè Oraculo ſubſcribens; *Dubitari*, inquit, *nefas eſt, vt, ad cuius nutum cuncta ſubito ex nihilo ſubſtiterunt, pari potentia in Spiritualibus Sacramentis terrena materies, naturam, & meritum generis ſui tranſcendens, in Christi ſubſtantiam commutetur: Cum ipſe dicat, Hoc eſt Corpus meum: & paulo poſt, Hic eſt ſanguis meus; ſi Deum omnia poſſe credis, & hoc conſequitur, vt credas, nec humanis diſputationibus diſcernere curioſius inſiſtas: ſi creaturas de nihilo potuit creare, has ipſas multò magis valet in excelſioris naturæ dignitatem conuertere, & in ſui Corporis ſubſtantiam transfundere.*

In c. 6. Ioan.

Epiſt. ad Adeodatũ.

Idem negantium hanc tranſubſtantiationem error in ſex generalibus Concilijs damnatus fuit; ſiquidem Primum generale Romanum, celebratum ſub Nicolao ſecundo anno 1060. Berengarium Hæreſis authorem coegit hæreſim ipſam abiurare. Secundum itidem Romanum, celebratum anno 1079. ſub Gre-

gorio

gorio VII., cũ Berengariani conarentur professionem iam editam deprauare, coegit ad clariorem declarationem. Tertium quoque Romanum Lateranense, celebratum anno 1215. sub Innocẽtio III. præmissa de pluribus, ac præcipuè de Sacramentis Fidei confessione, excommunicat, & anathematizat omnem hæresim extollentem se aduersus sanctam Orthodoxam Catholicam Fidem, quam superius exposuit. Idemque fecit Concilium Constantiense, celebratum anno 1414. damnans Articulos Ioannis Vuiclephi, quorum primus erat; *In Sacramento Altaris remanere substantiam panis materialis, & vini materialis*. Ac denique generale Concilium Florentinum in Instructione Armenis de Fide, ac Sacramentis data, Patribus Latinis, & Græcis consentientibus, sic habet; *Substantia panis in Corpus Domini, & substantia vini in Sanguinem conuertuntur.* Seß. 8.

Nec Solem sanctæ huius veritatis obnubilat, quod aiunt, Euchariſtiam per Apostolum panem vocari, ibi; *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Nam & Manna, quod huius Sacramenti Symbolum fuit, in Sacra Scriptura frequentissimè vocatur Panis. Et quidem huic obiectioni peculariter faciens satis S. Ambrosius, ait; *Tu fortè dicis, meus* 1. Cor. 10. Lib. 4. de Sacramẽtis cap. 4.

panis est vsitatus, sed panis iste ante verba Sacramentorū panis est: vbi accesserit consecracio, ex pane fit Christi Caro. Et infra; *Sermo Christi hoc conficit Sacramentum, nempe is, quo facta sunt omnia: Iussit Dominus, factum est Cælum: Iussit Dominus, facta est Terra: Iussit Dominus, & facta sunt Maria. Vides ergo, quàm operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini, vt inciperent esse, quæ non erant, quantò magis operatorius est, vt sint, quæ erant, & in aliud commutentur?* Hactenus Ambrosius.

Nec quisquam dicat, nomen saltem esse nouum, ac peregrinum; Quia, si mutatio formæ rectè dicitur transformatio, & mutatio figuræ transsiguratio, non est vlla diuersitatis ratio, cur mutatio substantiæ non possit dici transubstantiatio. Item si rectè dicitur, noctem transire in diem per aduentum Solis, diem transire in noctem per solis occasum, lignum in ignem per combustionem, cibum in hominem per nutritionem, & elementa inuicem per mutuum conflictum; non est, cur dici non possit, substantiam panis transire in substantiam Corporis Christi, & posse fieri, vt in Eucharistia non naturaliter, sed supra ordinem naturæ in illis accidentibus desit substantia panis.

Minus in eo insistat Lutheri, aut Caluini Sectator, per hoc dari esse, ac non esse, quòd humanis oculis corpus, aut carnem non videat; Non enim est præter Dei potentiam, vt corpus alicubi sit, & locum non occupet, vel locum occupet, & alterum non expellat. Quod satis liquet ex Apostolo, à quo habemus; *Christum venisse ad Discipulos, cum fores essent clausæ*: Et rursus post dies octo iterum *ad eos intrasse ianuis clausis*. Quod S. Hilarius ponderans, quasi Aduersariorum impudentiæ præscius; *Integra*, inquit, *sunt omnia, & obserata, sed ecce assistit medius, cui per virtutem suam vniuersa sunt peruia: nihil cedit in solido, neque per naturam suam aliquid tanquam lapsu insensibili ligna, & lapides amittunt: Corpus Domini à se se non deficit, vt se se resumat ex nihilo: Et vnde qui assistit in medio est? Cedit ad hæc & sensus, & sermo, & extra rationem humanam est veritas facti*. De quibus, *Sunt*, inquit, S. Gregorius, *quædam, quę ita de Cælestibus loquuntur, vt solis illis supremis Ciuibus in Patria sua persistentibus pateant, nec nobis peregrinantibus reserentur*.

Ioan. 20

Lib. 3. de Trinitate.

Sed quid adhuc egemus humanis testibus, quando Chrysostomus, Sozomenus, ac Sophronius plurima merè prodigiosa referunt de Eucharistia, in ignem, in cinerem, in lapidem;

in ſumpturos illam indignè conuerſa? Et plerique congerunt miracula fide digniſſima Diuinitus edita de Carne, de Sanguine, ac de Effigie Pueri in illa apparentis: quibus (perfido etiam Pharaone, ea digitum Dei eſſe teſtante) ipſe Deus ſubſcribit huic veritati.

Exod. 8.

Veruntamen quicunque hæc legis, mirari non debes, à Luthero, & à Caluino negari Chriſti præſentiam in Euchariſtia; Nam Primus illorum etiam clariſſima Dei verba; *Hoc eſt Corpus meum*, adeo conatus eſt in cimmerias tenebras altè demergere, vt ducentas neſcio quis collegerit horum verborum vel apertas deprauationes, vel inter ſe diſſidentes interpretationes. Alter verò, Claudio Sanctesio teſte, triplicem habuit opinionem de eo, quod in Cœna Dominica percipimus: Vnam, quæ videtur ipſiſſimam carnis, & ſanguinis ſubſtantiam aſſeuerare: Alteram, quæ nudam, ac meram gratiam per Mediatoris Chriſti carnem quaſi percolari ad nos effingit: Tertiam, quæ nihil noui aſſerit ex hac Cœna referri, quod non alibi, & antea comparetur, præter panis, & vini pauxillum, de manibus impuri alicuius nebulonis, & circulatoris miniſtri acceptum; Ventorum enim impulſibus ita ferri Hæreſis conſueuit, cum nullo pondere conſtet veritatis,

In Exam. Doctr. Caluinianæ.

tis, vt nuſquam firma ſubſiſtat.

Ego verò hiſce ventorum impulſibus agitatos Aduerſarios noſtros miſeratus enixè precor, vt in Nauiculam Petri ſe recipiant; quæ quidem, quantumuis fremat Pelagus, ſæuiant venti, grandines increbeſcant, explodant atræ nubes denſa fulgura, quaqua verſus ignes euomant Inferi portæ, fremant in eam, ac rugiant Math. 16. inſtar Leonum immaniſſimi Dæmones; perire nunquam poteſt. Quippe manet Terra, Cœloque firmior illa promiſſio, qua portas Inferi, & vim omnem Satanicam aduerſus eam minimè præualituram pollicitus eſt Dominus: qui licèt aliquando obdormire, dum regit illam, videatur; in tuto tamen res eſt, quòd hunc ſcimus omnipotentem, ac ventos tandem eſſe increpaturum, & mare. Et, ſi modum conuerſionis non intelligunt, relictis, iuxta relatum S. Fulberti conſilium, humanis diſputationibus, In c. 11. Primæ ad Cor. humiliter profiteantur, quod Gloſſa Ordinaria profitetur his verbis; *Nos incerta relinquentes, quod ex authoritatibus certum eſt, profitemur, ſcilicet, ſubſtantiam panis, ac vini in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Dominici conuerti: modum verò conuerſionis nos ignorare, non erubeſcimus fateri*; Rationes enim de occulto Dei iudicio quærere, eſt contra Dei iudicium ſuperbire.

SA-

SAGITTA XV.

Seſſ. 14. Cap. 1.

Confeſſionem peccatorum eſſe Papiſticam impietatem, & carnificinam, à Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. conſtitutam: Pænitentiam autem optimam eſſe nouam vitam.

CLYPEVS,



Acramentalis Confeſſionis Inſtitutionẽ, quæ eò potiſſimùm directa eſt, quemadmodum animaduertit Auguſtinus, vt diabolus audiat, quoniam confitemur, & pænitet nos peccaſſe, Lutherus, & Sectatores vocant Papiſticam impietatem, & carnificinam; adijcientes etiam, Pænitentiam optimam eſſe nouam vitam.

Serm. 30. ad Fratres in Eremo

In Aſſert. Artic. 9.

At Pænitentiæ Sacramentum eſt nouæ Legis, à Chriſto inſtitutum poſt reſurrectionem ijs verbis ad Apoſtolos; *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt eis, quorum retinueritis, retenta ſunt.* Habetque tria, quæ ex communi Theologorum ſententia ſufficiunt ad eſſentiam Sacramenti, nempe

Ioan. c. 20.

Sym.

Symbolum externum, Promissionem gratiæ, & Præceptum. Symbolum externum est Confessio, & Absolutio, quam Christus instituit, cum dedit Apostolis potestatem remittendi peccata; Non enim Apostòli poterant remittere, aut retinere peccata aliorum, nisi eorum cognitionem haberent per externam confessionem; Nec alijs innotescere poterat, ea sibi remitti ab Apostolis, nisi externo signo absoluerentur. Promissio gratiæ includitur in promissione remissionis peccatorum; non enim mortalia peccata remittuntur nisi per infusionem gratiæ iustificantis. Præceptum continetur ijsdem verbis; quia collata ibi Apostolis à Christo iudiciaria potestate absoluendi à peccatis in foro conscientiæ, exerceri non potest ea potestas nisi audita priùs causa, ac præuia causæ discussione, de qua S. Gregorius; *Causæ, inquit, pensandæ sunt, & cum ligandi, atque soluendi potestas exercenda, videndum est, quæ culpa ante, quæ sit pænitentia secuta post culpam, ut quos Omnipotens Deus per compunctionis gratiam viuificat, illos Pastoris sententia absoluat; tunc enim vera est absolutio Præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur Iudicis.* Atque ideò oportet ex Christi institutione Sacerdotes peccatorum confessiones prius excipere, quàm absolutio-

Hom. 26. in Oct. Paschæ.

nis sententiam proferant.

Quodque Fideles teneantur comparere in eorundem Sacerdotum iudicio, inde etiam probatur, quòd idem Christus Dominus Apostolis potestatem dedit non solùm absoluendi, sed retinendi etiam peccata Fidelium; si enim liberum eis esset comparere, non possent eorum peccata retineri.

Eiusdem Sacramenti ante prædictam manifestissimam institutionem, quæ post resurrectionem, vti iam diximus, peracta fuit, præmisit Christus Dominus ante passionem ali-
Matth. 8. quod Symbolum, cum, mundato leproso, misit illum ad Sacerdotem; *Vade, ostende te Sacerdoti.* Et in veteri Lege adumbratum fuit, vbi
Num. 5. habetur; *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens, loquere ad filios Israel: Vir, siue Mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quę solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum.*

Hanc ipsam in Apostolis potestatem per Confessionem absoluendi, probat Diuus Pau-
2. Cor. 5. lus, dicens; *Deus dedit nobis ministerium reconciliationis.* Et infra; *Posuit in nobis verbum reconciliationis.*

Et Confessionis quidem vsus in primæuam

Eccle-

Ecclesiam iam tum ab Apostolorum tempore inuectum fuisse, perspicuum est ex Actis eorumdem Apostolorum ibi; *Multi Credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos.* Cuius rei veritatem manifestè confirmant vetustissimi, ac grauissimi Patres. S. Irenæus de quibusdam fœminis à Marco Hæretico circumventis ait; *Hæ sæpissimè conuersę ad Ecclesiam Dei, confessę sunt, &c.* Tertullianus de peccatorum Confessione agens, habet; *Cum te ad Fatrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras.* Quo loco hortatur mirè peccatores, ne occultãdis in Confessione delictis humanæ notitiæ subducant, quæ iam Deus optimè nouerit: profertque aptissimum exemplum, sectionis alicuius membri, cauterij inusti, & mordacitatis alicuius pulueris adhibitæ: quæ omnia licèt per insuauitatem medeantur, emolumento tamen curationis offensam sui excusant. Atque ita, licèt criminum confessio verecundiam videatur offundere Pænitenti, attamen salutaris, atque proficua eidem censeri debet, libentique animo amplexanda.

Cap. 19. Lib. 1. cap. 9. Lib. de Pænitentia cap. 10.

Origenes, *Vide*, inquit, *quid nos doceat Scriptura Diuina; quia oportet peccatum non celare intrinsecus.* Et infra consilium profert in hæc verba; *Tantummodo circumspice diligentius, cui*

Hom. 2. in Psal. 87.

T 2 *debeas*

debeas confiteri peccatum tuum: proba prius Medicum, cui debeas causam languoris exponere: quì sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente: qui condolendi, & compatiendi nouerit disciplinam, vt ita demum, si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum Medicum ostenderit, & misericordem, si quid consilij dederit, & facias, & sequaris.

Serm. 5. de lapsis.

Et S. Cyprianus eadem de re ait; *Confiteantur singuli delictum suum, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotem, apud Dominum grata est.*

Eam verò Confessionem secretam fuisse, testatur Paulinus in vita Ambrosij, vbi, cum dixisset; *Quotiescumque aliquis ad promerendam pro peccatis veniam illa ipsi confitebatur, adeo intima cordis commiseratione afficiebatur, vt deflens audita peccata, ad secum flendum Pœnitentis prouocaret affectum*; Subdit; *Crimina ab illis accepta, nulli nisi Domino, apud quem intercedebat, loquebatur; relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, vt intercessores apud Dominum sint magis, quàm accusatores apud homines.*

Sed longe ante Paulinum, & quidem ab ipsis Apostolorum temporibus secretam Cõfessionem in more fuisse, ne illi quidem negant, qui hostes sunt Pœnitentiæ, vt liquet ex Socrate, ac Sozomeno Græcorum Historicis id testantibus.

Ait

Ait enim Socrates; *Ab illo tempore, quo Nouatiani se ab Ecclesia seiunxerunt, recusaruntque cum his, qui tempore persecutionis, regnante Decio concitatę, lapsi erant, communicare; Ecclesiarum Episcopi canoni adiunxerunt, vt in singulis Ecclesijs Presbyter quidam Pænitentiæ præesset: quò qui post Baptismum lapsi fuissent, coram Præsbytero ad eam rem designato peccata sua confiterentur* (Immò, quod ait paulò inferius) *particulatim confiterentur*. Et Sozomenus; *Etenim*, inquit, *cum prorsus non peccare naturæ sit humanæ diuinioris: Pęnitentibus autem, quamuis frequenter deliquissent, veniam dare, Deus iusserit, & ad impetrandam denique veniam confiteri peccata necessarium sit, odiosum* (vt credibile est) *Sacerdotibus ab initio visum fuit, tanquam in theatro, audiente Ecclesiæ multitudine, delicta pronunciare. Præsbyterum itaque aliquem, vitæ integritate quàm maximè spectabilem, secretorum etiam tenacem, ac sapientem huic officio præfecerunt: cui accedentes, qui peccarant, acta vitæ suæ confitebantur. Ille verò pro cuiusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, interminatus, absoluebat, vt à se ipsi commissorum pęnas exigerent.* Hæc ille. licèt aliter, ac perperam habeat lectio Sozomeni apud Cassiodorum in Tripartita, dum ait, Antiquis Pontificibus vi-

Lib.5.c.19

Lib.1 c.16.

Li.9.c.96.

sum

sum esse, vt velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici Populi delicta panderentur; Nam, si hoc verum esset, ad quid opus erat, vt subdit, ad hoc opus deligi solitum Præsbyterum, secretum seruantem?

Nec desunt Concilia, quæ institutum Confessionis approbauerint, & quidem longe ante Lateranense, quo Confessionem primò constitutam dicis; Siquidem ex Orientali Ecclesia institutum hoc fuit approbatum a Con-
Can. 2. cilio Laodiceno, congregato ante annos 1100. cuius hæc sunt verba; *His, qui diuersorum peccatorum lapsus incurrunt, & instant Orationi, Confessioni, ac Pænitentiæ, malorum suorum perfectam conuersionem demonstrantes, pro qualitate peccati tempus pęnitentiæ tribuendum est.* Et in sexta Synodo coacta ante annos 900.
Can. 102. dicitur; *Oportet, eos, qui soluendi, ac ligandi potestatem à Deo accepere, peccati qualitatem considerare, & eius, qui peccauit, ad eam conuersionem promptum studium, & sic morbo conuenientem adferre medicinam.* Et ex Latina Ec-
Can. 31. Can. 32. clesia approbatum fuit a Concilio Carthagi-
Cap. 22. nensi, ante annos 1100. in Primo Cabilonen-
Can. 12. & 16. si, conuocato ante annos 800. in Turonensi 3. circa idem tempus: atque in Rhemensi eiusdem antiquitatis.

Con-

Concilium autem Latheranense, si textum recte legas, non instituit Confessionem, sed solùm declarauit, potestatē administrandi hoc Sacramentum Iure Diuino non nisi eorum esse, quorum in alios iurisdictio est, quales sunt proprij Sacerdotes, vt patet ibi; *Omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.* Et infra; *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio Sacerdote.* Quòd si præscripsit Fidelium Communioni tempus Paschæ, iam multis ante sæculis Fabianus Papa, in Canone relatus, sanxerat, vt Laici omnes ter in anno, in Paschate videlicet, in Pentecoste, & in Natali Domini communicarent. Et in specie, vt Christiani omnes adulti Eucharistiæ Sacramentum perciperent in solenni die Paschatis, Teste Platina, statuit Zephyrinus Papa. Quod certè præcedentem supponit Confessionis institutionem, iuxta S. Leonis hac de re dictum; *Christus Iesus hanc Præpositis Ecclesię tradidit potestatem, vt & Pænitentibus actionem Pęnitentiæ darent, & salubri satisfactione purgatos per ianuam reconciliationis admitterent.* Quod ipsum aduertit Pamelius ex pluribus S. Cypriani locis, quos eruditis notationibus illustrauit, hisce verbis; *Discimus*

Cap. omnis vtriusque de Pænit. & rem.

Can. etsi non frequentius de Consecr. dist. 2.

In vita Zephirini.

Ep. 91. ad Theodorum

ex eiusdem Sanctissimi Martyris scriptis, hunc olim in Ecclesia seruatum ordinem; vt primùm fieret confessio criminum apud Sacerdotes Dei: Hăc sequebatur Pænitentia, quę & precesserat: Penitentiam excipiebat Exomologesis, idest imbecillitatis proprię confessio, quam sequebatur impositio manus Episcopi, aut Cleri: Hac facta, dabatur Eucharistia sic reconciliato.

Neque verò pijssimum hoc Confessionis institutum, quod, ex Hieronymo, est secunda post naufragium tabula, Carnificina conscientiarum dici potest, quòd cogat, vt illi aiunt, ad arctissimam omnium delictorum confessionem; Etenim eadem ratio, quæ vnum cogit confiteri peccatum (de mortalibus agitur, cum venialia necessitati non subsint confessionis) confiteri cogit & aliud: Nec Confessarij auribus aperire compellimur ea, quorum, præmisso diligenti examine, non meminimus; vt docuit Augustinus his verbis; *Cum Dominus precipit, confiteri omnia mortalia, modo intellige humano, vt ea confiteatur homo, quæ humanę subsunt facultati: Et consequenter ad integritatem Confessionis eorum exigitur confessio mortalium, quorum valet homo habere memoriam, tali premissa perscrutatione, qualis in arduis negotijs adhiberi solet; oblita enim, & incognita humanę*

In Comm. ad. 3. cap. Hier.

Lib. 2. c. 27 de Peccat. meritis.

non

non subsunt facultati: Quorum tamen veniam precarì Dauid ab eo solitus fuit, cui nuda, & aperta sunt omnia, dicens; Ab occultis meis munda me Domine.

Quod verò per hyprocrisim adijciunt, *Pænitentiam optimam esse nouam vitam;* Vtique noua vita est optimum pænitentiæ signum; At, vt inquit Chrysostomus; *Non à pristinis tantùm malis desistere, sed etiam meliora sequi officia dicitur Pænitentia,* Iuxta Psalmistæ dicta; *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: Laboraui in gemitu meo: lauabo per singulas noctes lectum meũ.* Quibus concinit Isaias; *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. De quo inferius plura ad Sagittam de Satisfactionum necessitate.*

Hom. 80. ad Populum.

Psal. 50. Psal. 6.

Isaiæ 38.

Pæniteat ergo Aduersarios nostros blasphemiarum, quibus Pænitentiæ Sacramentum insectari ausi sunt: Et qui Sacramentalem Confessionem hactenus oppugnarunt; *hanc esse singulare plane testimonium conscientiæ timentis Deum*, Fateri iam cum Chrysostomo ne amplius differant; ponderantes, errorem Hæresis, si citò respuatur, ingnorantiæ tribui, si verò pertinaciter defendatur, blasphemiam reputari.

Hom. 3. in Matth.

SAGITTA XVI.

Sess. xv. Cap. xv.

Nostrorum temporum Theologastros perperam fecisse ex Satisfactionibus partem Pœnitentiæ.

CLYPEVS,

lib. locorum comm. de humanis legis.



Vthor confessionis, seu verius confusionis Augustanæ Melancthon arcum suum tetendit, & ore suo spicula venenata iactauit contra Theologos nostrorum temporum: quos omnes ingenita arrogantia, ac dementia Theologastros vocans, & redarguens, quòd fecerint ex Satisfactionibus partem Pænitentiæ; *Porro, inquit, nostrorum temporum Theologastri, secuti priscã Traditionem Synodi Nicenę, fecerunt ex Satisfactionibus partem Pænitentiæ: quo errore planè non est vllus nocentior.* Et infra demens ille subdit; *In Synodo Nicæna constitutæ sunt quædam Pænitentię formę, non pronuncio, quo spiritu decreuerint Patres; at video, bonam Euangelij partem, immò vim germanam Euangelij obscuratam esse ex Traditionibus; nam*

inde

inde primùm ortę sũt Satisfactiones. Eoque pręcipuè aduersus *hypocritas*, quas vocat, *Satisfactiones*, vtitur argumeno, quòd Doctrina de Satisfactionibus nostris pugnet cũ Doctrina Satisfactionis Christi, & illius meritum obscuret. Quæ Melancthõ didicit ab errorum Magistro Luthero, qui in libro, quem inscripsit; *Admonitio ad Ecclesiasticos Augustę in Dieta Imperiali congregatos*. Ait (quod piæ mentes sine horrore legere, vel audire non possunt) *Satisfactiones ipsius Tartari sentinam esse*.

Quid magis temerarium? Iuuenis Lutheri discipulus Theologastros appellat cunctos sui tẽporis Theologos, & reprehendit Nicænam antiquissimam, ac sanctissimam Synodum, sæculis omnibus venerandam, cui adhæret Tridentina.

Doctrina autem de Satisfactionibus non solùm ratione nititur, quam affert Irenæus, dicẽs; *Incongruum esset, vt propria non plangerent peccatores crimina, pro quibus ipsemet Christus lacrymas, & sanguinem effudit*. Cum quo consentit S. Chrysostomus, qui, *Incongruum*, inquit, *esset, vt qui, quantum in nobis fuit, Deo de debito honore detraximus, Diuinę Maiestati in honorem, ac sacrificium non offeramus aliquid boni delectabilis, vel vtilis nobis subtractum*. Et lucu-

Lib. 4. c. 28. Com. Valentianum.

In 3. Ioan.

lentissimè probatur vel à solis Niniuitis, qui *in cinere, & cilicio, in clamore orationis, & ieiunio*, pænitentes, misericordiam impetrarunt;
Iohel. 2. Sed præcipuè defenditur Diuinis Oraculis; *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, & planctu*. atque alibi; *Si Impius egerit pęnitentiam, ab omnibus peccatis suis, quę operatus est, & custodierit omnia pręcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor*. Et apud Euangelistam legimus; *Facite fructus dignos pęnitentię*. De quibus dicitur; *Pro mensura delicti erit & plagarum modus*. Vbi Glossa ordinaria; *Non solùm*, inquit, *fructus pęnitentię, sed dignos pænitentię admonet faciendos*.

Exech. 18. — Lucæ 3. — Deuter. 25.

Ac proinde ex SS. Patribus, qui nobis vbiq. præsto sunt propugnatores, S. Augustinus; *Non sufficit*, inquit, *mores in melius commutare, & à prateritis malis recedere, nisi etiam de his, quę facta sunt, satisfiat Domino per pęnitentię dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis, & ieiunijs*.

Serm. de Pænitentia

Serm. de lapsis. S. Cyprianus ait; *Dominus orandus est, Dominus Satisfactione placandus*. Et qualis hæc Satisfactio esse debeat, declarat ipse his verbis; *Orare oportet impensius, & rogare: diem luctu transigere:*

re: vigilijs noctes, ac fletibus ducere: tempus omne lachrymosis lamentationibus occupare: stratos solo adhærere cineri: in cilicio, & sordibus volutari: post indumentum Christi perditum nullum hîc iam velle vestitum: post Diaboli cibum, malle ieiunium: iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur: eleemosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberentur. Et S. Gregorius super verbis prædictis; *Facite fructus dignos pænitentiæ; Quisquis,* ait, *illicita nulla commisit, huic iure conceditur, vt licitis vtatur: at si quis in culpam sit lapsus, tantò à se licita debet abscindere, quantò se meminit & illicita perpetrasse*. Et infra; *Vnusquisque conscientia conuenitur, vt tantò maiora quærat bonorum operum lucra per pænitentiam, quantò grauiora sibi intulerat damna per culpam*. Quare & Cõcilium Antiochenum anno 341. celebratum, hac de re ita statuit; *Omnes, qui ingrediuntur Ecclesiam Dei, & Scripturas Sacras audiunt, nec communicant in oratione cum Populo, sed pro quadam intemperãtia se à perceptione Sacræ Communionis auertunt, hi de Ecclesia remoueantur, quamdiu per Confessionem pænitentiæ fructus ostendant, & precibus indulgentiam consequantur*. Vel, vt alia habet editio; *Donec confitentes fructum pænitentiæ demonstrent*.

Hom. 20. super Ioan.

cap. 2.

Nec verum est, Doctrinam de Satisfactionibus

bus pugnare cum Doctrina de ſufficientia ſatisfactionis Chriſti, aut per eam obſcurari illius
Ad ſag. 9. meritum; Nam, vt ſupra etiam innuimus, non obſcuratur, ſed illuſtratur Chriſti meritum dum fatemur, illud adeo eſſe efficiax, & vniuerſale, vt ipſe non ſolùm vitam æternam nobis per illud meruerit, ſed vires etiam merendi cõtulerit. Quin immo Chriſti meritum obſcurant illi, qui docent, à Chriſto nobis nihil collatum eſſe virium, quibus meritis ipſius cooperemur.

Hoc vero inferunt ipſi Sancti Patres, è quibus
Sermon. 1. db aſſumpt. Domini. S. Bernardus; *Quòd merita ſint, gratia Dei eſt, volentis, & statuentis, labores nostros digna mercede compenſare, licèt beneficijs Diuinis debiti*
Hom. 1. de Adam, & Euæ. *ſint*. S. Chryſoſtomus; *Tanta eſt bonitas Dei, vt nostra velit eſſe merita, quæ ſua ſunt dona*.
Dial. cor. Palag. p. 1. S. Hieronymus; *Quid coronat in nobis Deus? quod ipſe operatus eſt, voluntatem noſtram, quę*
Epiſt. 115. ad Sixtum. *obtulit omne, quod potuit*. Et S. Auguſtinus; *Deus coronans merita noſtra, nihil aliud coronat niſi munera ſua*.

Quid plura? Quamuis blaſphemauerit Lutherus; *Satisfactiones ipſius Tartari ſentinam eſſe*. Non ideo tamen eſt auſus negare Catholicam hanc veritatem in Aſſertione 40. Articulorum; in quibus ita profitetur; *Eccleſia Mater pio affectu preuentura manum Dei, caſtigat filios ſuos*

Si-

Satisfactionibus quibusdam, ne incurrant flagella Dei, sicut Niniuitæ operibus suis spontaneis preuenerunt iudicium Dei. Et idem, a quo hæc Sagitta contorta est, Melancthon, dum Tridentinam Synodum reprehendit, quòd Doctrinam sequatur Nicænæ Synodi, tacitus, sed inuitus eiusdem Doctrinæ antiquitatem, suæque nouitatem fatetur.

Neminem ergo, quem feriret, inuenit: retorta in hostem tela redierunt; siquidem sagittare in obscuro rectos corde non potuit, & nihil in filios lucis valuit filius tenebrarum. Qui proinde nobiscũ deplorare cogitur, multa semper, & ingentia oboriri mala, dum pro Cælesti Dogmate humanæ superstitiones introducuntur, dum bene fundata Antiquitas impia nouitate oppugnatur, dum Superiorum instituta violantur, dum rescinduntur Scita Patrum, dum conuelluntur Decreta Maiorum, dum sacratæ, atque incorruptæ Vetustatis castissimos limites profanæ, ac nouellæ curiositatis libido transgreditur. Psal. 10.



SA-

SAGITTA XVII.

Sess. xxv. Super concessione Calicis.

Calicis vsu laicos superstitiosè, ac sacrilegè fraudari, contra expressam Domini institutionem in speciebus panis, ac vini, & Gelasij Papæ Decretum, ac plura Scripturæ loca, vtramq. speciem exigentia.

CLYPEVS.

Lib. ad Bohemos.

Lib. de Cap. Babil.

Serm. de Euchar.



POstquam iterum, ac tertiò satis copiosè docuit Lutherus, Communionem sub vtraque specie non esse necessariam, contradicētis nequitiæ spiritu actus, cœpit asserere, *Laicos vsu Calicis fraudari non debere*. Quod etiam tueri conatus est ipsa Domini institutione, Gelasij Papæ decreto, ac varijs Sacræ Scripturæ locis. Et Aspis ille à vipera mutuatus venenum, Caluinus, his argumentum adiecit, de quo superbissimè gloriatur, vocans illud, *Noli me tangere*; Ab antiquo scilicet vsu, quem contra negationem Calicis stare contendit.

Inst. lib. 4. c. 17. ss. 47.

At verò Laicos in hoc minimè fraudari, Lutheri, & Caluini Sectatores, vel hoc vno con-

uin-

uincuntur argumento, ab Ephesina trecetorum decem, & octo Patrum Synodo, in condemnatione Nestorij firmato, quòd sub specie panis est Christi Corpus cum Sanguine, & sub specie vini est Christi Sanguis cum Corpore.

Cui accedit, quòd idem Christus Eucharistię Sacramentum administrauit in sola panis specie duobus Discipulis, in Emaus proficiscentibus, cum quibus discubuit; vt explicant Chrysostomus, Theophilactus, & Augustinus, ponderantes, quòd Euangelista, postquam dixit; *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis*: Ne verbo quidem facto de benedictione, ac distributione Calicis, subdit; *Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipse euanuit ex oculis eorum.* Lucæ 24.

Eodem modo Eucharistiæ Sacramentum fuisse etiam ab Apostolis administratum, atque ab alijs, colligimus ex Actis Apostolicis, in quibus Lucas, referens, non quod Apostoli, sed quod Fideles facerent, ait; *Erant autem perseuerantes in Doctrinà Apostolorum, & Communicàtione fractionis Pànis, & Oràtionibus*. Nec vllam facit mentionem vini. Act. 2.

Idem suppetit ex Sozomeno, qui euentum plane admirandum refert de fœmina Macedoniana hæretica, quæ se Catholicam simulans, Lib. 8. Hist. cap. 5.

Chrysostomo Sacris operante, accepit in manus Panem Eucharistiæ, tanquam paulò post illum manducatura, sed clam dedit Ancillæ, pane profano ab ea accepto, vt palam illum comederet: qui panis continuò in lapidem est conuersus; non enim potuisset fieri fraus circa Calicem, qui vtique nō porrigebatur in manus.

Idem confirmatur ex Concilijs; Nam Sardicense meminit Communionis laicæ, ad differentiam Sacerdotalis, his verbis; *Placuit Synodo statuere de quibusdam facinorosis, vt ne laicam in fine Communionem, nisi pęniteant, accipiant.* Rhemense statuit, vt Presbyter per se ipsum deferat Corpus Domini ad infirmos, nulla facta mentione Sacri Sanguinis. Cuius item non meminit Concilium Garmauense, quod statuit, vt Presbyter habeat semper Eucharistiam pro infirmis paratam.

cap. placuit de Elect.

Can. per- de Consec. dist. 3.

His minimè obsistit Gelasij Papæ Decretum, ex quo Aduersarij nostri conantur Pontificem reddere suorum adstipulatorem errorum; Hoc enim ita se habet; *Comperimus autem, quòd quidam, sumpta tantummodo Corporis Sacri portione, à Calice Sacri Cruoris abstineāt. Qui proculdubio, quoniam nescio qua superstitione docentur astringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diuisio vnius, eiusdemque mysterij*

De Coscer. dist. 2. cap. cōperimus;

sine

sine grandi sacrilegio non potest prouenire. Ex quo ijdem Aduersarij inferunt, necessariò sub vtraque specie communicandum. Non id, inquam, obsistit; Nam, vt omittamus frigidam illorum interpretationem, qui asserunt, Gelasium de Sacerdote sacrificante solummodo loqui, cum nulla, re vera, ibi fiat de Sacerdote sacrificante mentio, sed vniuersalis sit sermo; germanum Gelasij verborum sensum ab eodem docemur, qui dum ait, eos, qui talia agerent, quadam superstitione teneri, planè occultos illos Manichæos significat, qui ob Sectæ superstitionem sic cum Catholicis communicare solerent, ne detegerentur Hæretici; sed tamen abstinerent ab haustu vini, quod eorum hæresis prohibebat, & apud illos reputabatur fel draconis. Quam quidem solutionem non esse confictam diuinationem, sed solidum, & expressum Gelasiani decreti sensum, docent, quæ S. Leo, detestatus Manichæorum errores, habet his verbis; *Cumque ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysterijs, ita in Sacramentorum communione se temperant, vt interdum tutius lateant: ore indigno Christi Corpus accipiunt, Sanguinem verò redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire Sanctitatem, vt vobis huiusmodi homines ex his* *Serm. 4. de temp. Quadrag.*

manifestentur indicijs, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati, & proditi, à sanctorum Societate Sacerdotali authoritate pellantur. Hæc S. Leo. Ac proinde, cum abstinentia Calicis proderentur penitus Manichæi, idem plane remedium, quo vsus est S. Leo, adhibendum putauit esse Gelasius, vt latitantes sub Catholico nomine impios detegeret Manichæos. Atque inde est, quòd, Decreti rationem afferens, subdit; *Quia diuisio vnius, eiusdemque mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire*; nimirum non sine suspicione nefandissimæ hæresis. Vbi illud etiam ponderandum maximè est, quòd non dictum fuit; Non potest perfici, sumique, sed; *Non potest prouenire sine grandi sacrilegio:* Quòd scilicet nemo Catholicorum haustum Calicis penitus exhorreret, vt Manichæi: Atque ita, ne, si Catholici à Calice abstinerent, in suspicionem adduci possent hæresis Manicheæ; neue, si id facerent Manichæi, quod Catholici facerent, nullo signo detegi possent, prudentissimè quidem, S. Leonis insistens vestigijs, Gelasius Decretum illius Doctrinæ affine, atque consentiens sanciuit. Idem verò remedium ad Manichæos patefaciẽdos profuisse docent, quæ apud Anastasium Bibliothecarium scripta leguntur, nempe, Manichæos sub eius

Pon-

Pontificatu inuentos, eiuſdemque authoritate in exilium deportatos, eorumque Codices publicè concrematos.

Minus refragantur Sacræ Scripturæ loca, vt dicitur, vtramque ſpeciem exigentia; Nam, vt egregiè, pro more, eiuſdem Sacræ Tridentinæ Synodi Patres aduertunt, qui dixit; *Niſi manducaueritis Carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* Dixit quoque; *Si quis manducauerit ex hoc Pane, viuet in æternum.* Qui dixit; *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sāguinem, habet vitam æternam;* Dixit etiam; *Panis, quem ego dabo, Caro mea eſt pro Mundi vita.* Et denique, qui dixit; *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo:* Dixit nihilominus; *Qui manducat hunc Panem, viuet in æternum.* Qui textus, ne vnus alteri aduerſetur, conuincunt, neceſſariam quidem eſſe etiam Laicis participationem Corporis, & Sanguinis Chriſti, ſed vtramque haberi, ac recipi etiam ſub vna panis ſpecie.

Ioan. 6.

Ibidem

Ibidem

Ibidem

Ibidem

Ibidem

Nec quicquam obſtat Caluini argumentum, *Noli me tangere*, ab antiquo, vt aſſerit, vſu; Nam, eſto, adfuerit hic vſus, quem etiam nos non negamus adfuiſſe in aliqua parte, ex quo ipſamet Eccleſia aliquando iuſſit, communicari ſub

vtra-

vtraque ſpecie etiam Laicos, ad diſtinguendos, vt ſupra obſeruauimus, Catholicos à Manichęis, qui vinum illud arbitrabantur fel Draconis, & communicabant duntaxat ſub ſpecie Panis; nemo rectæ, atque integræ mentis non fatebitur, penès Eccleſiam eſſe authoritatem, ritus ex cauſa pro tempore variandi, ſeu ſuper ijs diſpenſandi. Vnde Auguſtinus; *Nulla inconſtantia præcipientis, ſed ratione, diſpenſantis pro temporum diuerſitate pręcepta mutantur.*

Com. Fauſtum.

Et quidem cauſa commutandi vſum Communionis ſub vtraque ſpecie in eum, qui eſt modò ſub ſola ſpecie Panis, potuit eſſe irreuerentię periculum, ſi caſu aliquo effunderetur Chriſti Sanguis, vel aliud accideret in adminiſtratione Calicis; Si enim aliquando id euenit in adminiſtratione Panis, vtique non eſt irrationabilis timor in adminiſtratione Sanguinis. Et quidem, ſi ſumma decet reuerentia tractari Sacramenta omnia, quæ ſunt vaſa gratiæ Dei; haud dubiè ſumma huic debetur reuerentia, in quo continetur ipſemet Chriſtus Deus.

Præſertim quia per hoc etiam omnes magis intelligunt, tàm ſub vna, quàm ſub altera ſpecie eſſe totum Chriſtum, Carnem, Animam, Sanguinem, ac Diuinitatem Chriſti; pro vt eſt etiam ſub qualibet particula earumdem ſpecierum.

rum.

rum. Quod ipsa Ephesina Synodus, vt diximus, in Nestorij condemnatione firmauit.

Quòd si quæras, cur Sacerdotes ad Altare operātes Eucharistiam sumant sub vtraque specie, Laici non item; hanc Theologi rationem reddunt, quòd tunc Sacramentum habet rationem Sacrificij, Christi Passionem repræsentantis: Quod non fit in simplici Laicorum Communione, quæ habet solam rationem Sacramenti, vt est pignus Diuini Amoris.

Verùm quo spiritu abreptus hæc Tridentino obiecerit Concilio satanicus Prædicator Lutherus, ex his conijce, quæ hac de re ausus est effutire; *Si quod Concilium statueret, aut permitteret vtramque speciem, nos nequaquam vtraque vti vellemus, sed in despectum Concilij, eiusque Statuti, aut vna, aut neutra vti vellemus, maledicturi vniuersis, qui ex Statuto Concilij vtraque vterentur.* *Lib. de formula missandi.*

Quidnam potest tam effræni, atque insano furori istius belluæ comparari, qui in odium Concilij etiam re ad Salutem necessaria vellet non vti, & vtentibus maledicere? Hæresi tamen hoc est proprium, vt animum, quem semel occuparit, efferatum reddat, & omni penitus exuat humanitate.

SAGITTA XVIII.

Seß. xxv. de Sacrifi. cio Missæ c. 1. & sequ.

Missam verè Sacrificium non esse: & gratis dici, offerri pro peccatis, & prodesse viuis, ac defunctis.

CLYPEVS.

Lib. de Miss. Angel. Lib. de Missa Abrog. Lib. 2. com. Zuingl. In confess. edita anno 1528.



QVi quondam Catholicus, ac Monachus, Missam per quindecim annos seriò, ac deuotè celebrauit, Lutherus, à Dæmone, & quidem visum, vt ipse fatetur, edoctus, per ac persuasus, cæpit illam detestari, ac dicere, *Super omnes abominationes se habere Missam: & nihil magis dolere, quàm quòd per tot annos eam celebrasset more Catholicorum*. Cui Caluinus adiecit; *Pestilentissimo errore à Satana totum penè Orbem obcæcatum, vt credat, Missam verè Sacrificium esse, & oblationem ad impetrandam remissionem peccatorum*. Nec defuit, qui alia eiusmodi scripserit sub titulo; *De Aegritudine, & Obitu Missæ*, vt totum suum virus Dæmon per Ministros suos euomeret in tremenda Missæ Mysteria.

Inst. lib. 4. cap. 18.

Dialogus Teutonius.

At Missam verè Sacrificium esse, quin immo

in

in vno Euchariſtiæ Sacrificio omnes veterum Sacrificiorum differentias eſſe repoſitas iuxta Sanctæ Synodi Doctrinam docent Auguſtinus, Chryſoſtomus, ac Leo Papa; Etenim eſt primò *Latreuticum*, ſeu *Honorarium*, quia poteſt offerri ad ſolum cultum, & honorem Dei: In quo reſpondet Sacrificio Veteris Legis, quod *Holocauſtum* appellatur. Eſt *Euchariſticum*, hoc eſt laudis, & gratiarum actionis; offerri enim poteſt ad gratias agendas ob collatum in nos beneficium Dominicæ Paſſionis: quod explicat Auguſtinus ſuper locum Pſalmi; *Sacrificium laudis honorificabit me*. Et de hoc alibi dicit; *Quod eſt ſacratius laudis Sacrificium, quam in actione gratiarum? Et vnde maiores Deo agendæ ſunt gratiæ, quàm pro ipſius gratia per Chriſtum?* Quod totum Fideles in Eccleſiæ Sacrificio faciunt, cuius vmbræ fuerunt omnia priora genera Sacrificiorum. Et hac ratione continet Sacrificium Veteris Legis, quod *Hoſtiam pacificam* dixere. Quo pariter nomine appellatum fuit etiam in eadem Lege Sacrificium *Impetratorium*; Hoc ipſum in Miſſæ Sacrificio continetur; offerri enim poteſt pro beneficijs accipiendis, vt paſſim ex Liturgijs Iacobi, Clementis, Baſilij, & Chryſoſtomi apparet, in quibus docemur, offerentes orare pro pace, &

Lib. 1. con Aduerſ. leg. ac Proph. cap. 20.

In Pſal. 95

Serm. 8. de Paſſ. Dom.

Encl. c. 110 & lib. 1. con. Aduer. leg. & Prof. cap. 18.

copia fructuum, alijsque temporalibus benefi-
Prima ad Tim.c.2. cijs, iuxta illud Apostoli; *Obsecro fieri orationes, postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, vt quietam, & tranquillam vitam agamus*. Quem locum de publicis Orationibus, quæ fiunt in Missa, exponunt Chrysostomus, Theophilactus, & Oecumenius in
Epistol.59. lib.6.c.vlt. eundem locum, Augustinus in Epistola ad Paulinum, & Ambrosius in libro de Sacramentis.

Respondet itidem Missæ Sacrificium Sacrificio Veteris Legis, quod *Hostiam pro peccato* vocabant; Est enim Missæ Sacrificium maximè propitiatorium, nam continet Hostiam Deo longè gratiorem, quàm vetus illud; & multò magis memoriam repræsentat Passionis Chri-
Quæst. 17. in Leuit. sti: Vnde Augustinus de antiquis Sacrificijs loquens; *Illis Sacrificijs, quæ pro peccatis offerebantur, vnum hoc Sacrificium significabatur, in quo verè fit remissio peccatorum*. Consentiunt Patres reliqui, ac potissimùm ipsi Liturgiarum Authores Iacobus Apostolus, Basilius, Chrysostomus, vt passim in ijsdem apparet. Et quidem apertissimè id euincitur ex ipsis verbis Di-
Matth.26. uinæ institutionis; *Hic est Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Et
Hebr.5. cum ex Apostolo habeamus; *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur*

in

in ijs, quę sunt ad Deum, vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis; hinc patet, præcipuum Sacerdotis munus esse, offerre Sacrificium pro peccatis: cumque noua Lex perfectissimum habeat Sacerdotium, sequitur, eius Sacrificium, quod in Missa offertur, esse maximè propitiatorium pro peccatis.

Præterea, vt plerique ponderant, pro veritate tanti Sacrificij propugnat Diuinum Veritatis Oraculum; *Hoc facite in meam commemorationem*: Vbi per vocem, *Hoc*, declarat, Apostolos, ac Sacerdotes omnes idem facturos, quod ipse fecit in Cœna, in qua certè se ipsum obtulit in specie panis, ac vini: & subdens; *Hic est Sanguis, qui pro vobis effundetur*, explicat, hoc idem nostrum Sacrificium futurum propitiatorium perinde ac suum. Lucæ 22.

Et de hoc nostro Sacrificio S. Ioannes Chrysostomus; *Sacra Oblatio*, inquit, *siue illam Petrus, siue Paulus, siue alius cuiusuis meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit ipse Discipulis, quamque Sacerdotes modò quoque conficiunt: nihil habet ista, quàm illa minus*. Et S. Ambrosius; *Et si nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi Corpus offertur: immo ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur.* Hom. 96. ad Pop. Antioc. In Psal. 38. Hebr. 5.

Quodque idem Sacrificium ſit Oblatio pro peccatis hominum ex Latinis Patribus, præter Auguſtinum, quẽ ſupra retulimus, in Leuiticũ, Gregorius quoque aſſeuerat; *Hæc victima ſingulariter ab æterno interitu animam ſaluat*. Et ex Græcis, Origenes, relatis Domini verbis, quibus iubemur, Myſterium Euchariſtiæ in eius memoriam conficere; *Iſta eſt*, inquit, *commemoratio ſola, quę propitium facit Deum hominibus*. Et S. Cyrillus Hieroſolymitanus ait; *Chriſtum pro noſtris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis, & illis eum, qui eſt benigniſſimus, propitium reddamus*.

Dial. lib. 4. cap. 58.

Hom. 13. in Leuit.

Catecheſi 5. Myſtag.

Idem verò Sacrificium propitiatorium eſſe nõ pro Viuis dumtaxat, ſed etiam pro Defunctis, probat S. Cyprianus adeò, vt dicat, eo pietatis officio quẽquam priuaſſe, magnum eſſe illi ſupplicium intuliſſe. Origenes, *Memorias*, inquit, *Sanctorum facimus, & parentum noſtrorum, vel amicorum in Fide morientium deuotè memoriam agimus, tàm illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam conſumationem in Fide poſtulantes*. S. Auguſtinus; *Orationibus verò S. Eccleſiæ, & Sacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum, Mortuos adiuuari, vt cum eis miſericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt*.

Epiſtola 62.

Hom. 3. In Iob.

Serm. 32. de Verb. Apoſt.

Cyril-

Cyrillus; *Maximum*, inquit, *esse credimus animarum iuuamen, pro quibus offertur, obsecratio Sancti illius, ac tremendi, quod in Altari positum est, Sacrificij.* Quod ipsum S. Chrysostomus factum dicit, *Ex Spiritus Sancti institutione.* De quo etiam plura infra, vbi probabimus, Suffragia Defunctorum ex Apostolica Traditione processisse. Et Augustinus refert singulare, illud nequaquam à nobis omittendum, immo à pijs Fidelibus omnibus imitãdum, Sanctissimæ Matris suæ Monicæ in morte propositum; *Illa*, inquit, *imminente die resolutionis suę, non cogitauit, suum corpus sumptuosè contegi, aut condiri aromatibus, aut Monumentum electum concupiuit, aut curauit Sepulchrum patrium: non ista mandauit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad Altare tuum fieri desiderauit, cui nullius diei prætermissione seruierat: vnde sciret, dispensari Victimam Sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis computans delicta nostra, & quęrens, quid obijciat, & nihil inueniens: in illo, in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem Sanguinem? Quis ei restituet pretium, quo nos emit, vt nos auferat ei? Ad cuius pretij nostri Sacramentum ligauit Ancilla tua animam suam vinculo Fidei. Nemo à protectione tua dirumpat eam. Non se interponat, nec*

Catechesi. Mystag. 5.

Hom. 3. ad Phil.

Ad sag. 22.

Confess. lib 9. cap. 12

Colos. 2.

vi

vi, nec insidijs Leo, & Draco; Neque enim respondebit illa, nihil se debere, ne conuincatur, & obtineatur ab accusatore callido; sed respondebit, dimissa debita sua ab eo, cui nemo reddet, quod pro nobis non debens reddidit. Hactenus Augustinus.

Hic ipse Sanctissimi, ac tremendi huius, quod in Altari offertur, Sacrificij effectus vel hoc vno suadetur argumento, quòd, si Moyses Populo Israelitico Idololatræ veniam precibus obtinuit, & Aaron oratione, & incensis Deum placauit; Cur Sacerdos Deo Patri vnigenitum Filium offerens, in memoriam gratissimi Sacrificij, quo filius ipse se se obtulit Patri in Ara Crucis, à Deo veniam pro viuis, & mortuis non impetrabit?

Ad hoc idem comprobandum plerique inducunt, ac ponderāt Machabæorum textum, in quo Scriptura, Iudam Machabæum laudans, qui Sacrificium offerri iussit pro peccatis mortuorum (nullum autem Sacrificium maius excogitari potest eo, in quo vnigenitus Dei filius offertur Patri) concludit; *Sancta ergo, ac salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluātur.*

Sed quid plura? quando hoc vnum retundendæ Aduersariorum nostrorū perfidiæ abundabat, quòd ipsimet Lutherus, & Caluinus fatentur,

tentur, se in hoc à sensu, & vsu Orbis totius alienos esse. Sic enim Lutherus ait; *Nec moueat, quòd totus Orbis contrarium & sensum, & vsum habeat*. Et Caluinus; *Congredi*, inquit, *me Lectores intelligant cum ea opinione, qua Romanus Antichristus, & eius Prophetæ totum Orbem imbuerunt*. Et infra dicit; *Eamdem opinionem inebriasse omnes Reges, & Populos à summo vsque ad nouissimum*; Nemo enim integræ mentis dixerit, credendum Luthero, aut Caluino potius, quàm Orbi vniuerso. Et quod adhuc plus est, idem, qui Caluino, & alijs nostri temporis Sectarijs hæc obiectandi Author fuit, Lutherus, in pestilentissimo illo Libello, quem *de Angulari Missa* scripsit, ait, *se cum Diabolo in disputationem ingressum de Missa, & quidem per visum* (vt initio diximus) *tandem ab eo victum, ac superatum rationibus illius, illas se pro inuictis acceptasse*; Quid enim aliud docuisset, ac persuasisset mendacij Pater, ac Magister nisi mendacium?

Lib. de Captiu. Babyl. c. 1.

Inst. lib. 4. C. 18. §. 1.

Detestare iam extremam, Magistrorum tuorum in tremenda Missæ Mysteria impietatem, Hæretice: & hoc vnum insuper audi, ac pondera, quòd S. Nilus, quem spectata eruditio, atque conspicua integritas illustrem fecere, in Epistola ad Anastasium de S. Ioanne Chrisostomo,

mo, ac de Sacrosãcti Sacrificij dignitate, omni fide digna, scriptis mandauit; *Ioannes*, inquit, *Sacerdos admirandus Ecclesię Constantinopolitanę, immo verò totius Orbis splendor, vir animi perspicacis, omni ferè tempore videbat domum Domini refertam Angelorum cœtu, & tunc in primis, cum Diuinum, & incruentum Sacrificium offerebatur: quo quidem tempore, stupore, ac letitia plenus, rem præcipuis amicis spiritualibus priuatim enarrauit. Cum cępisset, inquit, Sacerdos Sanctum Sacrificium, seu Oblationem facere, plurimæ statim ex illis Virtutibus è Cælo descendentes, stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ Altari, magno cum silentio, ac reuerentia, quò ad venerandum illud Mysterium expletum fuit, circumsteterunt: deinde huc illuc singulæ per totam domum diffusæ, Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus distrìbutionem Corporis, & pretiosi Sanguinis ministrantibus, adhęserunt, satagentes, ac sedulo adiuuantes.*



SA-

SAGITTA XIX.

Cantum ab Elia Propheta in Sacerdotibus Baal derisum, fuisse ab Ecclesijs remouendum.

CLYPEVS,



PAuli Samosateni Antiocheni hæresim, qui Psalmis, & Canticis ad Domini nostri Iesu Christi honorem decantari solitis explosis, non fuit veritus mulieres instituere, à quibus, etiã solemni Paschatis die, inanes cantilenæ in sui ipsius laudem (quas si quis audiret, legeret, si quis planè exhorresceret) media ipsa in Ecclesia funderentur, Antiocheni authoritate Concilij ab annis supra 1350. proscriptam, quasi postliminio conatus reuocare, Aduersarius noster dicit, Cantum fuisse ab Ecclesijs remouendum.

Quis verò nesciat, tàm nefariam impietatem eò collimare, ne scilicet sacro cantu illectus fidelis Populus ad Ecclesias frequentius confluat, & in eis diutius immoretur? In quem finem obstrepunt Impij etiam contra Horas Canonicas,

atque omnem comprecandi consuetudinem, vt sublata certi temporis obligatione, carnalem vel nunquam, vel ad libitum saltem orandi libertatem inducant.

Ecclesiastici autem Cantus vsum ex instituto Diuino manare satis euincitur tũ ex libris Exodi, & Regum, in quibus Moyses, alijque Deo deuoti laudes Domino decantandas præscripserunt: tum ex eo, quòd ipsemet Dauid non solùm plurimos composuerit Psalmos, & Choros instituerit Cantorum; sed etiam hortetur, vt instrumentis musices Deum laudemus. *Psal.150.*

Quibus accedunt Cantica Zachariæ, Simeonis, ac Deiparæ Virginis: itemque Angelorum exempla, qui nato Domino distincta voce canebant; *Gloria in altissimis Deo, & in Terra Pax hominibus bonæ voluntatis:* necnon ipsius Domini, ac Discipulorum eius, qui post Cœnam, Hymno dicto, exierunt in montem Oliueti: & Pauli, ac Silæ, qui, teste Luca, media nocte, ijs etiam audientibus, qui erant in custodia, orantes, Hymnos decantabant. Nec Pauli dumtaxat exemplum, sed etiam monita habemus, vbi semel, atque iterum ad Ephesios, & Colossenses scribens, eos monet, vt se exerceant *In Psalmis, & Hymnis, & Canticis Spiritualibus.* *Luc. 2. Matth.26. Act.16. Ephes. 5. Colos. 3.*

Idem Cantus Ecclesiastici ritus iam apud

an-

antiquos Christianos, teste Eusebio Cæsariensi in Ecclesiastica sua Historia, viguit; Refert enim, Philonem Iudæum, omnia Ecclesiasticæ Institutionis initia describentem, de Cantibus Christianorum hæc habere; *Vnus ex omnibus consurgens in medio Psalmum honestis modulis concinebat: & præcinente eo vnum versiculum, omnis multitudo respondebat.* Alibique recenset verba Plinij Secundi Iunioris, qui cum Prouinciam Bithyniam administraret, ad Traianum de Christianis scripsit, hanc fuisse summam vel culpæ, vel erroris eorum, quòd essent soliti stato die ante lucem conuenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum inuicem. Historia etiam Tripartita testatur, S. Ignatium, tertium Antiochiæ à S. Petro Episcopum, & S. Ioannis Apostoli Discipulum, ipsi Antiochenæ Ecclesiæ, & per eam alijs, modum tradidisse alternatim canendi eo, quòd auditi essent Angelorum Chori, qui per Antiphonas S. Trinitatis laudes decantabant, & Hymnos. Vnde etiam Chrysostomus & meminit Cantus Ecclesiastici, & illum teste Socrate ornauit, & auxit: Ambrosius Cantum Ecclesiasticum, Hymnosque suos defendit contra Arianos: Basilius probat, vsum canendi esse optimum, & toti penè Orienti communem: aitque inter cæ-

Lib. 2. c. 17
Lib. 3. c. 32
Lib. 2. c. 17.
Hom. 6. in Matth.
Lib. 6. c. 8.
Orationes e traden. Basilicijs.
Epis. 93. ad Cler. Cæsar.
De Eccles. Hier. cap. 3. part. 2.

tera; *Porro Psalmorum modulatio, quæ omnibus fermè Sacerdotalibus Mysterijs iungitur, & substantię ratione cohęret, summo omnium Mysterio deesse non debuit*. Concilium Toletanum IIII.
Cap. 12. *De Hymnis*, inquit, *& Psalmis canendis publicè in Ecclesia, & Saluatoris, & Apostolorum habemus exempla*. Et Agathense expresse statuit, vt
Cap. 21. Hymni diebus singulis decantentur.

Et quidem multa ratione & Patres docuerunt, & Concilia approbarunt Ecclesiastici Cãtus ritum; quia, vt expendit Iustinus Martyr;
Quest. 107. *Excitat hęc cantio cum voluptate quadam animum ad flagrans eius, quod carmine celebratur, desiderium; Affectiones, & concupiscentias carnis sedat; cogitationes malas inimicorum, quos cernere non est, & suggestiones orientes amolitur; mentem ad fructificationem Diuinorum bonorũ rigat; pietatis decertatores generosos, & fortes per constantiam in rebus aduersis efficit; omnium rerum, quę in vita tristes, & luctuosæ accidunt, pijs affert medicinam*. Quæ paucis expres-
De Victima offerenda. serat Philo Iudæus his verbis; *Cantus, verbaque sani atem, & salutem afferunt; cantus quidem excantando passiones animi, vt quidquid in nobis dissonat, in concentum quendam redigendo, reprimendoque immodicos affectus, certis modulis componat*.

Eun.

Eundem ritum à Spiritu Sancto processisse declarat S. Basilius illis verbis; *Quando Spiritus Sanctus nos vidit ægrè persuaderi ad complexum virtutis, ac proinde ad iucundam vitæ rectitudinem per hoc lentescere, quòd toti ad consectandam voluptatem protenderemus, quid fecit? Nimirum Scripturæ suę Dogmatis mixtim dispersit concinnam istam numerorum modulationem, vt auribus permultis, ac delinitis mellito vocum concentu, clam velut aliud agentes, sineremus in animos nostros irrepere eloquiorum vtilitatem*. Quod ipsum & melius docuit, qui didicit experimento, Augustinus; Is enim de se scribit; *Quantum fleui in Hymnis, & Canticis tuis suaue sonantis Ecclesiæ tuę vocibus commotus acriter? Voces illę influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea ęstuabat affectus pietatis, & currebant lacrymę, & benè mihi erat cum eis*. Et mox canendi consuetudinem approbat in Ecclesia, *Vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat*. Vnde quamuis idem aliquando dixerit, *Tutius mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemini, qui tàm modico flexu vocis faciebat sonare Lectorem Psalmi, vt pronuncianti vicinior esset, quàm canenti*; Affirmat tamen in

Hom. in Psal. 1.

Conf. lib. 9. Cap. 6.

Conf. l. 10. Cap. 33.

Ibidem.

Conf. lib. 9 cap. 7.

in Oriente (vnde etiam Mediolanensis Ecclesia sub Ambrosio Ecclesiastici formam Cantus accepit) suauiori vocum concentu, qui audientium animos licèt tristes erigere, atque mulcere posset, Hymnos, Psalmosque concini solitos esse. Sic etiam Lactantius; *Si voluptas est audire cantus, & carmina, Dei laudes, & carmina audire iucundum sit.* Subijcitque; *Hæc est voluptas vera, quæ comes, & socia virtutis est: Hęc est non caduca, & breuis vt illę, quas appetunt, qui corpori vt pecudes seruiunt, sed perpetua, & sine vlla intermissione delectans.* Et S. Chrysostomus; *Ne Dæmones*, inquit, *lasciuia Meretricia cantica introducentes, omnia euerterent, Psalmos Deus construxit, vt ex ea re simul caperetur voluptas, & vtilitas.*

Lib.6.c.32.

Hom. super Psal. 4.

Adeoque frequens fuit priscis Fidelibus Psalmorum cantus, vt eo etiam in conuiuijs, & ruri creberrimè vterentur. Hinc S. Cyprianus; *Nec sit vel hora conuiuij gratię Cælestis immunis: sonet Psalmos conuiuium sobrium.* Tertullianus: *Post aquam manualem, & lumina, vt quisque de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere.* Et S. Hieronymus; *In Christi*, inquit, *Villula præter Psalmos silentium est: quousque te vertis, Arator stiuam tenens, alleluia decantat: sudans Messor Psal*

Ad Donatū

In Apol. cap. 39.

Epis. 17. ad Marcellam

mis

minis se euocat: & curua attondens vitem falce Vinitor aliquid Dauidicum canit: hæc sunt in Prouincia nostra carmina: hæ, vt vulgo dicitur, amatoriæ cantiones: hic Pastorum sibilus: hæc arma culturę.

His minimè obsistit, quod aiunt, recentiori Damasi præcepto in libro de Romanis Pontificibus institutum, vt diu, noctuque Psalmi in Ecclesijs canerentur; Nam illa est simplex appendix: & ex prædictis constat contrarium; nempe ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio viguisse in Ecclesia Catholica, ipsius etiam Christi Domini exemplo, diurnam, nocturnamque Psalmodiam. Cui fortasse aliqua potius forma à Damaso fuit præscripta. Qui etiam emendatum à S. Hieronymo Psalterium Septuaginta Interpretum canendum Occidentalibus tradidit. De quo idem Hieronymus hæc habet; *Psalterium quoque certè emendantissimum iuxta Septuaginta Interpretes nostro labore dudum Roma suscepit.* *In Apol. aduersus Ruffinum.*

Neque verò mihi obijcias, Cantum fuisse ab Ecclesijs reijciendum, ablegandumque ea potissimùm ratione, quòd plures abusus misceantur.

Equidem non ignoro, Gentiles ipsos, qui rectè saperent, damnasse illos canendi modos, qui mollibus, fractisque vocum inflexibus animos

mos itidem molles, fractosque, atque eneruatos penitus redderent. Quod Cicero in libris, quos scripsit de Legibus, his verbis eruditè demonstrat; *Assentior enim Platoni, nihil tàm facilè in animos teneros, atque molles influere, quā varios canendi sonos: quorum dici vix potest, quanta sit vis in vtramque partem; Nam & incitat languentes, & languefacit excitatos, & tùm remittit animos, tùm contrahit.* Ac testatur, etiam multarū Ciuitatum mores in mollitiē lapsos, esse immutatos cum cantibus, & hac dulcedine, corruptelaque deprauatos. Sed neque illud est ignorandum tibi, magnam à Sanctissimis Patribus adhibitam fuisse diligentiam, vt perquàm religiosus, modestus, & omnibus numeris ad pietatem compositis Cantus Ecclesiasticus esset. Vnde; adversus eiusmodi disciplinæ transgressores est vehemens illa, sed iusta, ex Pauli verbis, Hieronymi obiurgatio, dicentis; *Audiant hęc adolescentuli; audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia officium est; Deo non voce, sed corde cantandum: nec in Tragœdorum morem guttur, & fauces dulci medicàmine colliniendas, vt in Ecclesia Theatrales moduli audiantur, & cantica, sed in timore, & opere, in scientia Scripturarum.* Et nemo rectæ mentis est, quin fateatur, non nisi res Sacras, ac pias,

De Legibus lib. 2.

In Epist. ad Ephes. c. 5.

&

& quidem ſobriè, grauiterque in Eccleſijs canendas eſſe: nec leue vel Sacrilegij, vel Superſtitionis peccatum eſſe, ſi quis Sacris obſcœnum aliquid in Cantu miſceat.

At Cantus Eccleſiaſtici abuſus non ſolùm improbatur à Concilio noſtro, ſed multò ante improbatum fuerat à Concilio Romano ſub Gregorio Magno, atque à Concilio Aquiſgranenſi: Cap. 130. 132. & 133.


Et quamuis S. Auguſtinus ea, quæ ſcripta ſunt in Pſalmis, nimirum Deum laudandum eſſe muſicis inſtrumentis, ad ſpiritualem ſenſum trahat, atque inflectat: nolitque ea, quibus Gentilitas in ſuis ritibus vti conſueuerit, Chriſtianis eſſe communia; Tamen ſi eadem rectè, pièque, vt Chriſtianam modeſtiam decet, exerceantur, non prohibet, ſed liberaliter indulget, dicens; *Et ſi ad lyram, vel citharam canere, & pſallere noueris, nulla in te cadet reprehenſio; Hebræum iuſtum Regem imitaberis, qui Deo eſt gratus, & acceptus. Exultate Iuſti in Domino: rectos decet collaudatio*, dicit Propheta. *Et, Confitemini Domino in Cithara, & Pſalterio decachordo ei pſallite.* Pſal. 3: Concord. 1

Et nemo iure poteſt carpere, quod ſolùm eſt frequentiori vſu receptum, vt in Eccleſia adhibeantur Organa inſtrumenta diſparibus cannis

ſimul iunctis confecta, quæ omnem in ſono præſeferunt cum grauitate, & ſuauitate modeſtiam.

Ne verò vim ſtatuas in eo, quod penè exciderat è mente, in aſſerta, inquam, irriſione Eliæ; ſcito, Prophetam non ideo irriſiſſe Sacerdotes Baal, quòd canerent; neque enim Scriptura dicit, eos cantaſſe; ſed quia clamantes inuocabant Baal Deum inanem, ac falſum, & qui eos audire non poterat.

Ex quibus, ni fallor, non modò conuinceris, falsò te aſſerere, Cantũ Sacrum fuiſſe remouendum ab Eccleſijs; Verùm etiam, illum & religioſæ oblectationi, & maximo Audientium fructui conſulere, cogeris affirmare.



SA-

SAGITTA XX.

Cælibatum pessimè fuisse sacris Ordinibus, ac Monasticæ professioni annexum. Sess. 23. Cap. 13.

CLYPEVS.



NEquissimi hominum extitere, qui ex sancto Cælibatu Christianorum putarunt exhauriri hominum prole Romanum Imperium: Contra quos idem Imperium hoc Cælibatu, non modò non exhauriri, verùm etiam, Deo ita mirabiliter disponente, ex effectu fæcundari, probat S. Ambrosius in libro de Virginibus. Lib. 3. Et cum iure olim sancitæ Leges, vt contestatus est Augustus oratione apud Dionem, aduersus turpem, fictum, ac sterilem Cælibatum, iniustè à Gentilibus conuersæ essent contra Cælibatum verum, sanctum, atque fæcundum Christianorum hominum, Propheticis Oraculis præcognitum, atque laudatum, Christi Domini sententia comprobatum, & Apostolico testimonio firmiter stabilitum; Earundem Legum iniuriam Constantinus, Cælibatus aman-

Histor. lib. 55. Iac. lib. 3.

Isa. 54. 56.

Matth. 19.

1. Cor. 7.

tissimus, penitus aboleuit subscripta Lege lata: *Qui Iure veteri Cælibes habebantur, imminentibus Legum terroribus liberentur, atque ita viuant, acsi numero Maritorum matrimonij fædere fulcirentur: sitque omnibus æqua conditio capessendi, quo quisque mereatur &c.*

Lib. de' Infirmandis pœnis:

Exijt nunc Satanæ Prædicator infelix, Sacrilegus Monialis Sagrilegæ Coniux, qui euulgare non erubuit, Cælibatum pessimè fuisse Sacris Ordinibus, & Monasticæ professioni annexum, eo potissimum argumento, quòd *vsus fominę æquè homini necessarius sit atque edere, bibere, ac dormire*. Vnde etiam ait, *licitum esse vti Ancilla, si Vxor debitum reddere recuset:* Et *Mulierem, quæ è Viro suo concipere nequit, alium adire posse, à quo fœcundetur*; indocto, ac maligno intellectu cumulans contra Cælibatum multa ex Scriptura Diuina, ex Concilijs, ex Sacris Canonibus, necnon, vt ait, ex impossibili, & ex absurdis, ac prodigiosis libidinibus; In quo plurimi ex Sectatoribus suis illi suffragantur. Ita semper Hæretici Aranearum more in venenum vertunt omnia, & se ipsos perpetuò euiscerant, vt telas captiosas, hoc est fraudes, & dolos, opificio infelici contexant.

Lib. de' abr. Missa. Lib. de' vita Coniugali. Serm. de' Matrim.

Cælibatum autem sanctissimè fuisse Sacris

annexum Ordinibus, ſuadetur, ac figuratur nobis ex Veteri Teſtamento, vbi Deus præceperat, vt manducaturi Agnum Paſchalem, renes ſuos accingerent, hoc eſt, (vt Gregorius exponit) voluptates carnis edomarent. Exod. 12. Idemque cõprobatur ex eo, quòd Achimelech Sacerdos noluit dare Dauidi, ac ſocijs eius comedendos Panes Propoſitionis, qui, Hieronymo exponente, Chriſti Corpus ſignificabant, 1. Reg. 21. In cap. 13 ad Dit. niſi prius illos à mulieribus mundos eſſe intellexiſſet; Si enim homines, cum manducaturi erant Panem Propoſitionis, qui Corporis Chriſti figura tantùm erat, à mulieribus mundos eſſe oportuit, multò magis perpetua ab ijs exigenda eſt Continentia, quorum eſt quotidie non figuram, ſed ipſum verum Chriſti Corpus conſecrare, offerre, & comedere.

Id ipſum confirmatur ex Nouo Teſtamento, non ex eo tantùm, quod Apoſtolus ait; 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat ſe negocijs ſæcularibus*, qualia ſunt Nuptiæ; Sed etiam ex eo, quòd idem Apoſtolus Coniugatorum ex communi conſenſu ad tempus ſeparationem probat, vt Orationi liberius, & facilius inſtare valeant. 1. Cor. 7. Ex quo Epiphanius, ac Hieronymus inferunt; *Ergo Sacerdotes, qui quotidie Orationi inſiſtitere debent, à Nuptiarum opere debent*

bent perpetuò vacare. Vnde etiam in Euangelio proponitur exemplum Eunuchorum, qui se castrauerunt propter Regnum Cælorum, hoc est, vt Theologi omnes intelligunt, perpetuæ se deuouerunt Castitati.

Matth. 19.

His illa quoque accedit ratio, quòd si Sacerdotes haberent Coniuges, ac filios, non solùm de his semper cogitarent, & opibus congerendis intenderent animos, sed etiam ad officium prædicationis redderentur inepti; quia, vt Ambrosius ait, non posset efficaciter ad Continentiam, & Castitatem exhortari Viduas, ac Virgines, qui Liberis perpetuò operam daret: Et ex Augustino, *Actus Coniugij maximè hebetat aciem mentis, ac deprimit ad inferiora, & perturbat, atque animam ipsam carnalem quodammodo facit*.

lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 16.

Quibus, alijsque authoritatibus, ac rationibus ducti, id ipsum tradiderunt plerique, & Græci, & Latini Patres, & Pontifices, & Concilia; Etenim ex Græcis Patribus Origenes; *Videtur*, inquit, *mihi, quòd illius solius est offerre Sacrificiũ, qui indesinenti, ac perpetuæ se deuouerit Castitati*. S. Chrysostomus; *Oportet omni prorsus Castitate ornatum esse Sacerdotem*. Et Cyrillus; *Qui apud IESVM benè fungitur Sacerdotio, abstinet à muliere*. Ex Latinis

Hom. 22. in Num.

Hom. 2. de patien. Iob.

Catech. 12.

tinis verò Isidorus; *Placuit*, inquit, *SS. Patribus, ut, qui Sacra Mysteria contrectant, casti sint, & continentes ab Vxoribus*. S. Ambrosius; *Inoffensum exhibendum, & immaculatum ministerium, nec vllo coniugali coitu violandum*. Et S. Hieronymus; *Episcopi, Præsbyteri, Diaconi, aut Virgines eliguntur, aut Vidui, aut certè post Sacerdotium pudici*.

Lib. 1. de off. diu. cap. 10.

In fin. Apolog. p. lib. con. Iouin.

Ex Pontificibus quoque, Innocentius Primus, ab Hæreticis se Catholicos mentientibus rogatus, rescripsit de Clericorum Cælibatu seruando: iisdemque suis litteris ea se scripsisse profitetur, quæ Romana Ecclesia accepisset à Petro, & per temporum successiones inuiolabili disciplina ad illam vsque diem custodita fuissent. Leo Primus; *Omnium*, inquit, *Sacerdotum tam excellens est electio, ut hęc, quę in aliis membris Ecclesiæ vacant à culpa, in illis tamen habeantur illicita; cum enim extra Clericorum ordinem constitutis Nuptiarum societati, & filiorum procreationi studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ Continentiæ puritatem, ne Subdiaconis quidem carnale Connubium conceditur*. Et ante eum Callistus Primus à Gratiano relatus ait; *Præsbyteris, Diaconis, Subdiaconis, ac Monachis Concubinas habere, seu matrimonia*

Can. Præs. dist. 27.

contrahere penitus interdicimus.

Ac denique ex Concilijs, Romanum sub Siluestro Papa Subdiaconis etiam prohibet Vxores ducere. Et Carthaginense Secundum; *Omnibus*, inquit, *placet, vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, Pudicitiæ custodes, etiam ab Vxoribus se abstineant, vt, quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit Antiquitas, nos quoque custodiamus.* Eisdem generalibus Concilijs accedunt etiam plurima Nationalia, inter quæ ex ipsa Germania, ante annos DCC. Concilium Vuormatiense de hoc ita statuit; *Placuit, vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi abstineant se ab Vxoribus.* Ex Gallia, Concilium Aurelianense Secundum decreuit, vt nullus Clericorum à Subdiacono, & supra propriæ, si fortè iam habeat, misceatur Vxori. Et ex Hispania, Concilium Elibertinum ait; *Placuit, in totum præcipere Episcopis, Presbyteris,* Diaconis, *ac Subdiaconis abstinere à Coniugibus.*

Can. 8.

Can. 2.

Cap. 9.

Can. 2.

Can. 33.

Nec refragantur quinque, quas venantur ex Scripturis, Obiectiones, nempe ex Genesi, vbi præcipitur; *Crescite, & multiplicamini,* Et ex Apostolo, vbi vocat: *Honorabile Coniu-*

Genes. 1.

Hebr. 13.

niu-

iugiū in omnibus. ac rursus vbi ait; *Propter fornicationem autem vnusquisque propriam vxorem habeat*. Itéque vbi de eligendis ad Episcopatū dicit; *Episcopos debere esse vnius vxoris viros*: ac denique vbi dixit, *Futuros in nouissimis diebus, qui nuptias prohiberent*; quos ibi damnat, vt Hæreticos. Siquidem: 1.Cor.7. 1.Tim.3. 1.Tim.4.

Præceptum illud; *Crescite, & multiplicamini*, vt explicant Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, & Augustinus, ponderatis præsertim verbis, *Et replete terram*; habuit quidem ad tempus vim præcepti, cùm terra erat vacua, non verò, cùm fuit hominibus repleta. De Monogamia. De Nobilit. Virg. In Iouin.1. De S.Virg.

Et vbi Apostolus *Honorabile* dicit *coniugium in omnibus*, sanè verba illa, *in omnibus*, vt explicat Theophilactus, intelligūtur in omnibus legitimè coniunctis, non autem in coniunctis illegitimè, nisi fortè velint, quod idem Caluinus detestatur, ea intelligi etiam in primo, & secundo gradu, & esse honorabile coniugium Patris cū Filia, Fratris cum Sorore, Aui cum Nepte. Inst. lib.4. c.19.§.37.

Porrò verba illa, *Propter fornicationem autem vnusquisque vxorem suam habeat*, exponentibus Tertulliano, & Hieronymo, de coniugatis accipienda sunt ad Fidem conuersis, qui dubitabant, an possent vti vxoribus post conuersionem, non autem de non coniugatis, multoque

minùs de his, quibus vetitum erat coniugari. Quod liquet etiam ex ſubſequentibus Apoſtoli verbis; *Dico autem non nuptis, & viduis bonum eſt eis, ſi ſic permanſerint.*

Docens verò idẽ Apoſtolus, *Epiſcopos debere eſſe vnius vxoris viros*, vt ibidem adnotat Chryſoſtomus, non fert legem, vt Epiſcopi vxorem habeant, ſed ſolùm, vt non habeant, vel non habuerint niſi vnam, ac virginem. Et idem
In Propoſ. de Bigam. Lutherus fatetur, eadem verba intelligenda negatiuè, non poſitiuè.

Poſtremò, vbi dixit, *futuros in nouiſsimis diebus, qui Nuptias prohiberent*, quos dãnat, vt Heræticos; ponderandum eſt, nouiſſimos dies non eſſe hodierna tantùm Eccleſiæ tempora, ſed totam hanc vltimam ætatem, quæ à Chriſto principium habuit, & ad Iudicium vſque
1. Ioan. 2. perducetur. Vnde S. Ioannes; *Filioli, nouiſsima*
1. Cor. 10. *hora eſt.* Et idem S. Paulus; *In quos fines ſæculorum deuenerunt*: Et Apoſtolum damnare, vt Hæreticos, non Catholicos, ſed Manichæos, & alios, qui Nuptias prohibebãt vt malas; quod non facit Eccleſia: quæ myſteriorum ſedula cuſtos, Matrimonium tanquam Sacramentum à Chriſto inſtitutum colit, & recipit. At ex cauſis ſupra relatis, caſtitatis, ſeu continentiæ conditionẽ exigit ab ijs, qui Sacris initiari vo-

lunt,

lunt: Qui, cum ad hūc ſtatum non inuiti trahā-tur, ſed volentes, & inſtantes, caſtitate Deo liberè promiſſa, recipiantur; non inuiti, ſed volentes, & inſtātes obſtringūtur Lege Cęlibatus.

Facilè item ſoluuntur duo, quæ nobis opponuntur ex Concilijs, nempe ex primo Apoſtolorum, quo cauetur; *Episcopus, aut Presbyter vxorem propriam nequaquam obtentu Religionis abijciat.* & ex ſexta Synodo, quæ, vt dicitur, ex-preſsè improbauit continentiæ conditionem in Ordinandis; Quia Canon Apoſtolorum, vt eum exponit Vbertus Cardinalis, non vult, Epiſcopos, aut Presbyteros vti vxore, ſed ex eo, quod non vtuntur, illam non abijcere: &, ſalua continētia, illi neceſſaria ſubminiſtrare Et Sexta, quam dicunt, Synodus, non eſt Sexta legitima Synodus, ab hac Sancta Sede approbata, ſed alia ab aliquibus Epiſcopis de facto coacta, quam Beda erraticā vocat, nuſquam approbata. Vel certè eſt eadē, ſed deprauata per fraudem à Theodoro Conſtantinopolitano, olim Patriarcha, ac propter hæreſim eiecto; de quo Annales Eccleſiaſtici ad annum 680. & 681.

Can. 6.

Can. 13.

Leuiſſimę pariter ſunt aliæ duæ ex Sacris Canonibus Obiectiones, quòd ſcilicet Stephanus Papa, referens, in Eccleſia Orientali Eccleſiaſticos viros matrimonio copulari, eum morem

Cum igitur 35. q. 1. non reprehendat: Quodue Augustinus, in Canone relatus, ponat Continentiam Clericorum inter Consilia, non autem inter Præcepta. Prima quidem nulla est, quia Stephani Papæ verba, *Matrimonio copulantur* (ita enim fideliter legimus) intelliguntur, vt ea exponit Glossa, *Matrimonij copulam exercent*; quod Ecclesia tolerat in Græcis ante Ordinationem coniugatis. Altera quoque nulla est, quia Augustini dicentis, *Ecclesiam addidisse quædam Consilia perfectionis*, mens est, imposuisse Clericis Continentiam præcepto seruandam, quæ alioquin solùm erat consilium perfectionis: hoc est, Continētiam ante Ordinationem esse Consilij, post Ordinationem esse Præcepti.

Denique non vrgent argumenta deducta, vel ex impossibili, vel ex absurdis, ac prodigiosis, vt aiunt, libidinibus, quas oriri dicunt, ex Lege Cælibatus. Non illud, quia sicuti non omnium est virtus Continentiæ, ita etiam non omnes debent esse Sacerdotes, sed solùm hi, qui hac virtute donati videntur: prout donari omnes posse rationibus infra demonstrabimus, Cap. xxvi.

Non istud, quia, datis etiam absurdis. & prodigiosis, quæ supponuntur, libidinibus, quas, si accidant, detestamur, & cognitas punimus; gratis dicuntur partus Cælibatus,

quæ

quæ ab hominum vitijs, non à Lege Cælibatus, adeòque ex eius abusu, nõ ex vsu oriuntur; Partus enim, & *fructus Cælibatus*, Apostolo attestante, *sunt, sollicitè cogitare, quæ Domini sunt: sanctum esse corpore, & spiritu, & sine impedimento Dominum obsecrare*. 1. Cor. 7.

Iam verò ne è calamo excidisse dicas, quod eodem contextu ais, Cælibatum pessimè fuisse Monasticæ annexum Professioni: qui etiam alibi affirmas, tetro errore Calcedonense Concilium Monachis, & Monialibus Coniugium interdixisse; Ponderanda tibi sunt eiusdem Concilij verba, quæ modò profero; *Si qua Virgo se dedicauerit Deo, similiter Monachus, non licet eis Nuptijs iungi: si verò inuenti fuerint hoc facientes, maneant excommunicati*. Ex his enim necessariò colligitur, sacrarum Virginũ, ac Monachorum Vota iam tum in Ecclesia inualuisse. Quod nos ipsi ostendimus *infra*. Ad Sagittã xxvi.
Et Synodus illa per hæc verba, *non licet*, non nouum conscientijs onus imposuit, nec aliquid de nouo sanciuit, sed antiqua solùm Statuta suo etiam Decreto pro vsitato aliorum in multis, & in hoc ipso negocio Conciliorum more confirmauit: & zelo Dei acta in re tam graui, ac sancta anathematis pænam in transgressores in-

flixit;

flixit, ne quis Legem Cælibatus, quem Deo liberè vouerit, temerario ausu perfringat. Et si
1. Cor. 7. Apostolus innuptis Virginibus, non tamen peculiari Voto Deo consecratis, consilium dat, vt sic permaneant, quia Mulier innupta, vel Virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu, & non diuisa; nonne ab illis, quæ se liberè Deo vouerint, eique soli, abdicatis curis sæcularibus, & Mundi vanitatibus, placere velle promiserint, illibatam exiget continentiam?

Cæterum, etsi non me lateat, leuissima insuper aliquot ab Aduersarijs nostris in suam sententiam congeri (quod moris est omnium, qui pertinaciter rem minus iustam defendunt, vt quò minus habent, quibus fulciantur, rationes, eò magis fraudibus nitantur, eòque dolosius imposturas adornẽt) illa tamẽ, ne prolixior sim, prudens omitto. Præsertim quia ex iam dictis quisque veritatis amans intelligit, immensa Hæreticorum studia, quibus semper conantur iustitiam, ac veritatem oppugnare, veluti inflatas bullas, citò, ac facilè dissolui. Vnum precor enixè, vt, qui Continentiã oderunt, Scriptores, legãt de Vitæ honestate, de Virtutũ ornamentis, de Orationis fructu, de Mortis agone, de Inferni cruciatibus, aut huiusmodi alijs, quæ vel

Ethni-

Ethnicos permouere possunt ad vitam meliorem; ita enim Deo adiuuante fiet, vt non incontinentes modò, sed Hæretici etiam esse desinant sine alia digladiatione, aut cótrouersia.



SA-

SAGITTA XXI.

Sess. xxi. de Purgatorio

Purgatorium exitiale Satanæ commentum esse.

CLYPEVS,


Ementissimus Impiorum sui tẽporis omnium Manes, qui non vnam in quolibet homine animam, sed duas, easdemque diuersas, & è principijs planè contrarijs dimanantes posuit, malam nempe alteram, à mali principio insitam; alteram verò bonam, & Diuinæ naturæ participem, à boni principio infusam. Cuius deliria, & insanias pluribus eludit Sanctus Augustinus scripto de duabus animabus contrà Manichæos Commentario; Purgationem quandam, ridiculam tamen, animarum commentus est, atque punitionem; Docens enim transanimationem Pythagoricã, vt Epiphanius affirmat, dixit, animas Manichæorum per elementa purgari, ac in Lunam transmitti, & in ea tanquam per scapham quandam ad Solem perduci, & ad Deum bonum, è cuius substantia essent, adduci: reliquas

Hæres. 66.

verò

verò animas, quæ ab eo prædicatam veritatem audire contempsissent, Gehennæ ignibus tradi, à Dæmonibus cruciandas: sicque pro ratione delicti punitas, ad corpora iterum transmitti, vt erudirentur: quod si neglexerint, ad magnum ignem tandem dimitti.

Tu illo demetior, omnem negas purgationem? & Purgatorium ab vniuersa Ecclesia, & à Sancta Synodo assertum, impiè blasphemas, exitiale Satanæ commentum esse?

At quod tu inficiaris, id Origenes, ac Sanctus Ambrosius validissimè probant ex verbis Psalmi; *Transiuimus per ignem, & aquam: & adduxisti nos in refrigerium.* Adstruit euidentissimo Isaiæ textu Augustinus; *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem lauerit, de medio eius in spiritu iudicij; & spiritu ardoris.*

Hom. 65. in Num.
Psalm. 65.
Lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 25.
Isaia 4.

Tuetur Hieronymus ex Micheę 7. *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam; cum sedero in tenebris: Dominus lux mea est: Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum.*

In cap. vlt. Isaie.

Confirmat Beda ex Libris Regum, in quibus habetur, habitatores Iabes Galaad, audita morte Saul, ieiunasse decem dies: Dauid fleuisse,

In Com. 1. Reg. 4. Lib. 1. cap. vlt. Lib. 2. c. 3.

ac ieiunasse pro Saule, ac Ionata, & alijs occisis, scilicet ad iuuandas illorũ animas in Purgatorio existentes. Qui etiã alibi, *Quidam, inquit, cõmittunt quædam peccata venialia grauiora, & leuiora: & ideò necesse est, vt hi tales in ira corripiãtur, idest in Purgatorio igne nunc interim ante diem Iudicij ponantur, vt quæ in eis immunda sunt, per illum exurantur, & sic tandem idonei esse cum his, qui in dextra coronandi sunt, inueniantur.*

Psalm. 37.

Idem vno omnium ore conuincit Scriptura, quæ, referens, & commendans præclarũ factum Iudæ Machabæi, qui misit Hierusalem 12000. drachmas argenti in sacrificia pro mortuis expendendas, subdit; *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*; Non enim, vt ad eũ locũ Diuinę Scripturæ Interpretes animaduertunt, opus est, pro Defunctis orare, qui sunt in Paradiso, quia nullo indigent: nec pro illis, qui sunt in Inferno, qui à peccatis solui, aut purgari non possunt. Sunt igitur, optimè deducunt, qui post hanc mortalem vitam à peccatis solui, ac purgari possunt.

Sed ne dicas, hactenus relata omnia ex Veteri Testamento decerpta esse, nihil verò afferri ex Nouo: Ex hoc quoque Tertullianus ponderat

rat Matthæi textum; *Non exies in le, donec reddas nouissimum quadrantem.* Et Augustinus (vt plurimos prætermittamus), super eiusdem Matthæi textu; *Qui autem dixerit* (scilicet verbum) *contra Spiritum Sanctum, neque in hoc sęculo dimittetur ei, neque in futuro:* *Neque enim,* inquit, *de quibusdam veraciter diceretur, quòd non eis remittatur neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus, etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro.* Et ponderans verba Sancti Pauli; *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superędificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, ferrum, stipulam; vniuscuiusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit; quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus, qualis sit, ignis probabit: Si cuius opus manserit, quod superędificauit, mercedem accipiet: Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Ex his deducit; *Quicquid enim à nobis de istis peccatis non capitalibus, sed minutis redemptum nō fuerit, in illo igne purgandum est, de quo inquit Apostolus, quia in igne reuelabitur.* Et verba hæc de igne purgante in futuro sæculo intelligi, se ipsa declarant; Nam illud, *saluus erit, sic tamen quasi*

Matth. 5.

Matth. 12.

Lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 24.

1. Cor. 3.

Serm. 4. in Commem. Animarum

per ignẽ, de dãnatis intelligi potest, quia salui nõ erunt, sed in æternum peribunt: neque de illis intelligitur, qui sine peccato decedunt, quia de his proximè dixerat, *si cuius opus manserit*: & qui sine peccato moriuntur, nihil est, propter quod eos igne purgari oporteat. Remanet igitur, vt de purgandis in alia vita, qui tamen saluabuntur, intelligatur.

1. Cor. 3. Quarè etiam Sanctus Ambrosius exponit dicta verba, *Ipse autem erit saluus*; *Per hoc dicit illum saluum futurum, sed pœnas ignis passurum, vt per ignem purgatus fiat saluus*. Et S. Gregorius Magnus subscribens supra relatę Augustini sententię, ex eodem S. Matthæi textu ait; *De quibusdam culpis esse ante Iudicium purgationis ignem credendum est pro eo, quod Veritas dicit; Quia si quis in Spiritum Sãctum blasphemias dixerit, neque in hoc sæculo, neque in futuro remittetur ei*. Subdens; *Quod enim de vno negatur, continenter intellectu patet, quia de quibusdam conceditur*.

In 4. lib. Dialog.

Et præter iam relatos, Catholicam Purgatorij veritatem assertionibus suis probant plerique Patrum. Ex quibus S. Dionysius; *Oratione*, inquit, *precatur Hierarcha Diuinam Bonitatem, vt dimittat ei, qui dormit, omnia, quæ per humanam fragilitatem peccauit, & deducat ipsum*

Hier. Ecc. cap. 7.

in

in lucem, & regionem viuentium, in sinum Abrahæ, Isaac, & Iacob, vnde aufugit dolor, tristitia, & gemitus,

Et S. Basilius Magnus, *Da requiem,* ait, *animabus seruorum tuorum predormientium in loco lucido, in loco viuenti, in loco refectionis, vnde dolor, gemitus, & mestitia longè depulsa sunt: & statue spiritus eorum in tabernaculis Iustorum, pacis, atque remissionis.* Et alibi ex persona Defuncti Saluatorē alloquentis ait; *Imago sum tuæ ineffabilis gloriæ, quamuis feram stigmata peccatorum: figmenti tui Domine miserere: & pietate tua me purga: patriamque desideratam largire: & iterum Paradisi Curiæ restitue.* Non enim prodest oratio existentibus in Inferno, vnde irreuocabilis est gressus. In Oratione Domini omnipot. InExequijs mortuorū.

S. Gregorius Nyssenus eādem purgationem declarans; *Quemadmodum,* inquit, *immixtam auro materiam expurgantes per ignem, non solùm quod adulterinum est, igne liquefaciunt, sed purū quoque aurum necessariò vnà cum mixto liquatur, & remanet quod purum est, adulterino consumpto; ita cum vitiositas purgatorio igne absumitur, necesse est, vt Anima in igne sit, donec insita omnis adulterina materia, atque commixtio auferatur, igne consumpta.* In Dialog. de Consol.

Et S. Epiphanius contra Arium blasphe-

mantē, Defunctis Viuentium preces non prodesse, hæc habet; *Quòd Defunctorum recitamus nomina: Quid eo vtiliùs potuit fieri, quid eo opportuniùs, & mirabiliùs, quàm si credamus, qui hic stamus, eos, qui hinc defuncti sunt, viuere, neque eorum interijsse substantiam; sed esse eos, & apud Dominum viuere, vt religiosum Dogma prædicetur, quo qui pro fratribus precantur, bene de illis sperare constat, quasi peregrè profectis; nam & Iustorum memoriam facimus, & peccatorum: Peccatorum quidem, vt ipsis à Domino misericordiam imploremus, &c.*

Ac proinde de Purgatorio, tamquam de re compertissima, & omninò credenda, Theodoretus ait; *Hunc ignem purgatorium credimus, in quo Animæ Defunctorum probantur, & repurgātur sicut aurum in conflatorio.* Cui S. Anselmus subscribit, dicens; *De quibusdam leuibus culpis ante corporum resurrectionem purgatorius ignis credendus est.* Nec vllus integræ mentis Catholicæ huic veritati aduersatur.

1. Cor. 3.

Ibidem.

Verùm enimverò tu impudēter negas, quod vniuersa Theologorum Schola profitetur vel ea sola ratione, à Græcis simul, ac Latinis in Florentina Synodo ponderata, Diuinæ scilicet Iustitiæ, quæ nihil inordinatè factum impunitum relinquit: & iuxta mensuram delicti, vt

inquit

inquit Scriptura, constituit plagarum modum; Deut.25.
Cum enim pro quolibet peccato homo certam mereatur pœnam, si hanc in isto sæculo non soluit, exigit Diuinæ Iustitiæ ordo, vt in futuro satisfaciat; alioquin impunitus remaneret; Sed si quis contritus decedat, huiusmodi pœnæ non faciet satis in Inferno iuxtà illud; *Si autem* Ezech.33.
dixero Impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, vita viuet, & non morietur. Quod sanè de vita immortali, atque æterna intelligere oportet: In Cælo autem pœnam peccatorum non soluet, quia repugnat munditiæ Cælesti; domus enim est gaudij, non luctus. Superest itaque, vt præter Paradisum, & Infernũ aliquis alius assignetur locus, in quo huiusmodi exerceatur purgatio; qua facta, qui desinit esse pollutus, & inquinatus, ad Deum videndum, eoque fruendum euolet.

Cui alia non inferior accedit ratio, ab eadem Florentina Synodo probata, quòd cum vniuersalis Ecclesia, & quidem tàm Latina, quàm Græca, pro Defunctis oret, & orare semper cõsueuerit, eius oratio profectò inutilis esset, si Purgatorium post mortem minimè statueretur; frustra enim oraret pro his, qui iam sunt in gloria Cælesti, vel in Inferno; Illorum enim æternæ deliciæ, horum autem æternæ pœnæ: &

quem-

quemadmodum triumphantis animæ deliciæ militantium ſuffragijs non augentur, ita nec dãnatis leniuntur pœnæ, multò minus ab ijs liberantur.

Quibus illud planè nullo modo omittendũ addas, quod cum Sacrificia, & alia pietatis opera offerri conſueuerint pro Defunctis ex Apoſtolica traditione, neceſſariò compellimur dicere, etiã ex Apoſt. traditione aſſeri locum, in quo poſt obitum animæ purgentur, donec ab omni peccati macula expiatæ reddantur; Si enim viuentium ſuffragijs eas adiuuari, ac liberari poſſe, Apoſtolica traditio docuit, ſanè ex Apoſtol. traditione nõ omnium Fidelium animas continuò poſt obitum in Cælum recipi, nec etiam omnes in Infernum mergi, certum eſt.

Quòd autem verè ex Apoſtolica traditione Sacrificia, & alia pietatis opera offerri conſue-
De Corona milit. ca. 3. uerint pro Defunctis, teſtis eſt Tertullianus, dicens; *Oblationes pro Defunctis nonniſi ex tradi-*
Hæreſ. 35. *tione prouenerunt*. Accedit illi Epiphanius, qui, *Eccleſia*, inquit, *neceſſariò hoc perfecit traditione*
Serm. 32. de Verbis Apoſtol. *à Patribus accepta*. Vtrique ſubſcribit Auguſtinus his verbis; *Hoc à Patribus traditum vniuerſa obſeruat Eccleſia, vt pro eis, qui in Corporis, & Sanguinis Chriſti communione defuncti*

ſunt

ſunt, cùm ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorantur, oretur, & pro illis quoque offerre commemoretur; Id enim, quod vniuerſa tenet Eccleſia (eiuſdem Auguſtini ſunt verba) *nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur*. Et Sanctus Ioannes Chryſoſtomus, Populum Antiochenum alloquens, expreſsè ait; *Non temerè ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſterijs Defunctorum agatur commemoratio; ſciunt enim, illis inde multum cõtingere lucrum, vtilitatem multam.*

De Baptiſ. cap. 24

Homil. 69. ad Populũ Antiochen.

Hanc ipſam veritatem agnouit, ac teſtatus eſt Sanctus Ioannes Damaſcenus, qui hæc pro Defunctis ſuffragia ad ſuum principium reuocans; *Porro*, inquit, *Verbi Diſcipuli, atque conſpectores, à quibus Orbis vniuerſus captus eſt, illi, inquam, Saluatoris Diſcipuli, ac Diuini Apoſtoli, vt in tremendis, ac puris, vitamque afferentibus myſterijs, eorum, qui cum Fide diem extremum clauſiſſent, memoria fieret, inſtituerunt. Quod etiam firmè, atque conſtanter, ac ſine vlla controuerſia Catholica, & Apoſtolica Eccleſia ab extremis finibus ad extremos vſque fines, ab eo tempore ad hunc vſque diem ſemper retinuit, ac tantiſper, dum Mundus erit, hic retinebit*. Nec ſine fundamento Damaſcenus doctrinam hanc

De Fidel. Defunct. orat.

Apostolis, & Apostolicis Viris adscribit; siquidem præter Tertullianum supra relatum, temporibus Apostolorum proximum, Dionysius Sancti Pauli discipulus hanc Apostolicam traditionem tamquam certissimam statuit, dicens; *Precatur Oratio illa Antistitis* Diuinam *Clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata Defuncto, eumque in luce statuat, & regione viuorum.*

In cap. 7. Hierarch. Ecclesiast.

Hoc ipsum Diuino planè suffragio innumera testãtur Miracula, à Gregorio Papa, atque alijs fide probatis Auctoribus memoriæ prodita, quæ, quia erudito Lectori minus ignota sũt, sedulò prætermittimus.

Inficiaris demùm, quod fateri cogeris etiam argumento à Caluino tuo Præceptore desumpto. Cum enim Is in suis Institutionibus fateatur, fuisse vsu receptum ante annos 1300. vt precationes fierent pro Defunctis, vacare non potest, vt supra etiam probauimus, quod vniuersa pro Defunctis Ecclesia supplicare consueuerit.

In 5. libro Dialog.

Præsertim quia hoc ipsum fuit iam antea à à Concilio Florentino definitum: & pro constanti suppositum à Concilio Carthaginensi 314. Episcoporum, necnon à Varensi, & Agathensi; Quorũ primũ excommunicat retinentes

Cap. 106. Cap. 4.

De-

Defunctorum oblationes tamquam egentium necatores: Alterum eosdem abijciendos statuit ab Ecclesijs vt Infideles, & non credentes Iudiciũ Dei. Tertiũ eosdẽ excludẽdos esse mãdat ab Ecclesijs velut pauperũ necatores, quousq; eiusmodi oblationes retinere perstiterint.

Nec te vllatenus excusat, quòd Sanctus Augustinus ipse aliquando de locis Cælorum, ac Gehennæ loquens, dixerit; *Tertium penitùs ignoramus, immo nec esse in Sacris Scripturis inuenimus*; Quia ibi non agitur de receptaculis, quæ animabus ad tempus adscripta sunt; sed de perpetuis, Cæli videlicet, & Inferni mansionibus. Quod ex alijs verbis ibi euincitur, vbi ait; *Duo duntaxat in Scripturis inuenio animarum perpetua receptacula*. Nec quisquam sanæ mentis dixerit, Augustinum hìc negasse, quod alibi sæpiùs asseruit, & professus est, ac præcipuè in Libro de Pœnitentia, vbi ait; *Purgandus est igne Purgatorio ille, qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis; hic autem ignis etsi æternus non sit, miro tamen ordine est grauis*. Et in Libro de Ciuitate Dei dicit; *Temporarias pœnas alij in hac vita tantùm, alij post mortem, alij & nunc, & tunc, veruntamen ante Iudicium illud seuerissimum, nouissimumque patiuntur*; Immo

Cõtra Pelag. in Hypognosticon lib. 5.

De Pœnit.

21. Cap. 13

In Enchir. cap. 67. 68. & 69. etiam ab obiectis defendit. Et cum aliqui malè interpretantes Apostoli verba; *Fundamentum nemo alius potest ponere, quàm id, quod positum est, quod est Christus Iesus*; Purgatorium extenderent ad peccata etiam capitalia; idem Sanctus Doctor contra eos inuectus; *Multi*, inquit, *sunt, qui lectionem istam malè intelligentes, falsa securitate se decipiunt, dùm credunt, quòd, etsi super fundamentum Christi crimina capitalia ædificant, peccata ipsa per ignem transitorium possint purgari, & ipsi postea ad perpetuam gloriam peruenire*. Subditque; *Intellectus iste, fratres charissimi, corrigendus est, quia ipsi se seducunt, qui sic de talibus blandiuntur; illo enim transitorio igne, de quo dicit Apostolus t Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem; non capitalia, sed minuta peccata purgantur*.

Negabis ne adhuc tot Scripturis, ac Patribus, & rationibus probatam, ab omnibus receptam, à nullo in controuersiam reuocatam, constantē vndique veritatem? Non vtique te illam negaturum puto, si sapis.



SA-

SAGITTA XXII.

Stultam, & inanem esse Sanctorum inuocationem, ac venerationem impiam. *Sess.xxv.de Sanctorum Inuocat.*

CLYPEVS.



O Tempora! ò mores! Prædicauit in Oriente Gregorius Nazianzenus, ac multa etiam scripsit aduersùs Iulianum, & alios, cultum confirmans, ac venerationem Sanctorum. Præstitit hoc ipsum pluribus Homilijs Sanctus Basilius, eiusque Germanus Sanctus Gregorius Nyssenus. Chrysostomus contra Gentiles, & alios huius obseruantiæ extitit mirificus Propugnator. In Occidente Sanctus Ambrosius in eo totus fuit, vt inuestigaret, inueniret, atque transferret Sanctorum reliquias. Sanctus Hieronymus id ipsum egit, vt quàm potentissimè contraria asserentem Vigilantium stylo iugularet. Sanctus Augustinus quoque in conscribendis miraculis ex Reliquijs Prothomartyris Stephani, & aliorum quàm diligens extiterit, omnes sciunt. Ac demùm per quatuor Orbis latera Catholicam

Eccle-

Ecclesiam vbique diffusam, certum est, id ipsum antiqua Traditione acceptũ, Miraculis cõfirmatum, Patrumque testimonijs roboratum, religione recepisse, vsu tenuisse, ac semper iugi obseruantia coluisse.

Lib. de Eucharist. ad Vualchens.

Homo nunc, Dæmon verius, se se tanquam ab Inferis prodit, Lutherus, planè vecors, fatuus, delirus, furens, qui eò insaniæ, atque furoris se præcipitem ferri sinit, vt, Sanctis Patribus omnibus posthabitis, ac spretis, dicat, *Sanctorum stultam, & inanem esse inuocationem: venerationem impiam*. Cui, vt omittam Theodorum Bezam (Antilutheranum, cognomento Athos (cui certè Atheorum Coloniam Diabolus debeat) tanta subscribit impietate, & arrogantia Caluinus, vt ausus sit dicere, *eousque longas Sanctis aures non esse, nec oculos tam perspicaces, vt ad nostras porrigantur preces, & nostris aduigilẽt necessitatibus*. Atque his adiecerit, *Sanctorum inuocationes esse blasphemias contra Christum*. Mos quippe, & institutum Hæreticorum est, vt prælia primò aduersùs homines ineant, mox in Cælites ipsos demùm illa conuertant.

Inst. lib. 3. cap. 20. §. 24.

In quo, etsi satis, superq; esse posset, prędictos retulisse Duces, qui victores contra Aduersariorũ impetus in acie stetere; nihilominus, vt

etiam

etiam nos ex instituto aliquid dicamus; Quòd spectat ad Inuocationem Sanctorum, probatur hæc ex Sacris Litteris ibi; *Voca ergo, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere*. Nec non ex eo, quòd, si viuentes à viuentibus rectè inuocantur; vnde Apostolus ad Romanos scribit; *Obsecro vos, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum*: Quod ipsum repetit ad Ephesios, ac Tessalonicenses; multò magis inuocari poterunt ijdem Sancti cum Christo regnantes. Et quidem, si viuentes, cum adhuc peccare possent, cumque incerti adhuc de propria salute in hac vita peregrinarentur, nondum Christo coniuncti per confirmantem gratiam, suis nobis poterant orationibus auxiliari; nihilò deterior censenda est eorum conditio, postquam effecti sunt Ciues Sanctorum, & Domestici Dei. Quinimmò, in melius commutata eorum sorte, efficacior etiam apud Deũ eorum deprecatio existimanda est.

Iob. 5.

Rom. 15.

Quod argumentum præcipuè placuit Hieronymo, qui, *Si Apostoli*, inquit, *& Martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quantò magis post coronas, & victorias, ac triumphos?* Et subdit, *Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impe-*

Epist. 10. contra Vigilantium.

trat

trat à Deo veniam: & Stephanus imitator Domini sui, ac primus Martyr Christi pro persecutoribus veniam deprecatur; et postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt?

Ac proinde Patres ipsi ad Sanctorum inuocationem nos enixè inuitant; Sic enim Augustinus; *Cum merita nostra nos grauant, vt diligamur à Deo, non dubitemus, releuari apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit*. Eòque confidentiùs illos deprecatores nostræ infirmitatis adeundos dicit Ambrosius, quia etiam infirmitatem corporis, dum viuerent, cognouerunt. Sanctus Basilius Magnus; *Beneficium hoc*, inquit, *Fratres ex Deo obtinemus, vt paratum sit nobis, & Ecclesiæ per hos Martyres auxilium; vbi enim sunt isti, quis dubitet, Deum esse præsentem? Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: Qui rursus lætatur, hos oret; hic vt malis liberetur, ille vt duret in rebus lætis. Hos orans mulier pro filijs auditur: Peregrinanti viro reditum incolumem, ægrotanti salutem implorat: Cum his ergo Martyribus nostras effundamus preces*. Hactenus Basilius. Et (vt digna planè peroratione probationem hanc concludamus) Sanctus Bernardus; *In periculis*, inquit, *in angustijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca: Non recedat ab ore, non recedat*

à cor-

Quæs. 148. in Exod.

Lib. de Viduis vltra med.

Serm. 40. Martyr.

Serm. 2. super Euäg. Missus.

ũ corde: & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum: Ipsam sequens, non deuias: Ipsam rogans, non desperas: Ipsam cogitans, non erras: Ipsa tenente, non corruis: Ipsa pro te stante, non metuis: Ipsa Duce, non fatigaris: Ipsa propitia, peruenis: & sic in te ipso experiris, quàm meritò dictum sit; Et nomen Virginis Mariæ.

Indignum verò responsione est, quod scurriliter effutit Caluinus de auribus, aut oculis Sãctorum; Docet enim Sanctus Gregorius, Sanctos, qui Dei charitate fruuntur, omnia in Deo, tãquam in lucidissimo speculo aspicere, ac spectare, quæ ad eos pertinent. Et Sanctus Ambrosius, *Isti,* inquit, *sunt Dei Martyres, nostri Præsules, & Speculatores vitæ, actuumque nostrorum.*

Lib. 12. Moral. cap. 13.

Quod etiam obijcit, *Inuocationes Sanctorũ esse blasphemias contra Christum*, ex eo soluitur, quòd nemo Catholicus non profitetur, Christũ esse solum immediatũ Mediatorem apud Deũ; reliquos omnes mediatos per Christum. Vnde etiam Bernardus; *Opus est Mediatore ad Mediatorem: nec alter nobis vtilior, quàm Maria.*

Serm. de B. V. incip. Signum magnum.

Quod verò spectat ad venerationem Sãctorum, distinctionem Theologis familiarem præmittimus: Aliã esse adorationem Latriæ, quæ

ſoli Deo debetur; in qua cum Aduerſarijs nobis ſolùm de nomine controuerſia eſt: Alia Duliæ, quæ Sanctis: Alia denique Hyperduliæ, quæ Beatiſſimæ Virgini, tamquam omnibus Sanctis præferendæ, exhibetur: Huius verò, & Duliæ eandem naturam eſſe, & in aliqua tantũmodò extrinſeca prærogatiua diſcrimen. Quarum quidem pietas probatur tùm ex Veteri Testamento, ex quo habemus, Moyſem profecturum cum Populo ex Aegypto in Palæſtinam, oſſa Patriarchæ Ioſephi iam dudum mortui ſecum aſportaſſe, & in terram tranſtuliſſe promiſſionis: Et Ioſiam, effoſſis oſſibus aliorum mortuorum, qui ſepulti erant in Bethel, & in in cineres redactis, oſſa Sancti Prophetæ in eodem monte repoſiti, intacta cum alterius Prophetæ oſſibus aſſociari iuſſiſſe. Tũ ex Nouo in Actis Apoſtolorum, quæ nobis perſpicuè referũt, Fideles certatim accurriſſe ad vmbram Petri (Quid tenuius vmbra?) & Pauli ſudarijs, ac ſemicintijs, quæ ægrotis deferebantur, à lãguoribus ſolutos fuiſſe infirmos, & ſpiritus nequam depulſos.

Exod. 13. | 4. Reg. 23. | Act. 5. | Act. 19.

Authoritate Patrum fulcitur, ac confirmatur; Cyrillus enim, ponderãs factum illius mortui, cuius meminit Hiſtoria Regum, qui propter quandam efferentium trepidationem

Lib. 4. cap. 13.

for-

fortuitò proiectus in Elisæi sepulchrum, simul atque tanti Prophetæ ossa attigit, reuixit; sic ait, *Vt autem anima Sanctorum honoretur, credaturque, quòd etiam in corporibus mortuorum inest virtus, seu potentia, iacens in sepulchro Elisæi mortuus, mortuumque Prophetæ corpus attingens, viuificatus est.* Et Chrysostomus, miros eiusmodi effectus enumerans; *Ossa*, inquit, *Sanctorum Dæmones sistunt, & vinctos ab illis soluunt: & cinis, & ossa, ac fauilla inuisibilis illas Potestates dilaniat.* Catech. 18 Hom. 66. ad Populu Antioch.

*A*c proinde Hieronymus, inuehens in Vigilantium, qui eandem Christianis in Sanctorum veneratione Idololatriæ notam exprobrabat, in hæc verba erumpit; *Ergo ne sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, Timothei transtulit Constantinopolim? apud quas Dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire præsentiam confitentur. Sacrilegus dicendus fuit Augustus Archadius, qui ossa Beati Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed etiam fatui iudicandi sunt, qui rem vilissimam, ac cineres dissolutos in serico, ac vase aureo portauerunt?* Idemque Hieronymus alibi, cur Epist. 10. contra Vigilantium.

Epist. 2. ad Riparium contra Vigilantium.

veneratione dignæ sint Reliquiæ, exponens, ait; *Honoramus Reliquias Martyrum, vt eum, cuius, sunt Martyres, adoremus: Honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad Dominum, qui ait; Qui vos suscipit, me suscipit.* Et Ambrosius, *Honoro*, inquit, *in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: Honoro viuentis memoriam perennitate virtutis: Honoro per confessionẽ Domini sacratos cineres: Honoro in cineribus semina æternitatis: Honoro corpus, quod mihi Dominum ostendit diligere; Quod me propter Dominũ mortem docuit non timere.* Et infra; *Cur non honorent corpus illud Fideles, quod reuerentur & Dæmones? quod afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro?*

Serm. 93.

Epist. 42. ad Madaurenses.

Quibus, si velis, adijce illud Augustini de antiquissimo Sanctos, & eorum Reliquias venerandi vsu; *Videtis Imperij nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum Piscatoris Petri submisso diademate supplicare.* Et illud S. Ioannis Chrysostomi; *Romę, quæ Vrbium est regalissima, relictis omnibus, ad sepulchra Piscatoris, & Pellionis currunt Reges, & Præsides, & Milites.*

Lib. quod Christus sit Iesus.

Denique hæc ipsa veritas fuit à Concilijs firmata; Nicęnum enim secundum Sanctorum Reliquias appellat, *Fontes salutares, quibus*

Act. 3.

Deus

Deus beneficia præstat hominibus. Et Concilium Cangrense ante annos 1200. contra Eustatianos celebratum, recusantes Martyrum Basilicas ingredi, ne venerari viderentur illorum corpora, quę ipsi immunda putabant, eos anathematis fulmine ferit, qui Martyrum memorias, idest loca, vbi sunt Martyrum Reliquiæ, execrantur.

Nec alicuius momenti est, quod Centuriatores blaterant, Hieronymum magis conuicijs, quàm argumentis, ac rationibus in hoc Vigilantium superasse: & Augustinum confessum fuisse in Africa suo tēpore superstitiosum ad Reliquias S. Stephani Protomartyris cōcursum, dementatis Populis quadā illusionum specie, quæ pro Miraculis habitę sunt; Quia potiùs hoc ipsum ad detegendā ipsorum Centuriatorū amētiam, ac fraudem sufficit, quādoquidem apud eos habet & Vigilantius Hæreticus laudem, & Diuus Hieronymus reprehensionem: Et quæ ab Augustino commemorantur insignia miracula, illusiones vocantur.

Cent.4.c.8 Cent.5.c.6.

De Ciuit. Dei lib.22. cap.8.

Verumtamen mirum non est, à Luthero, & Caluino nequissimis hostibus Religionis, Sanctorum inuocationem, venerationēque impugnari; Siquidem execrandorum Dogmatum Assertores, in malo sagacissimi, non ignorant,

Religionem verè Catholicam plurimos ſæculis omnibus habuiſſe conſpicuos ſanctitate viros, ac mulieres, quorum exempla, atque ipſa nomina, quaſi ex diametro ſibi, ac ſuis Sectatoribus oppoſita, ferre non poſſunt: Cumque in tanta cæcitate, ac miſeria alieni ſint ab illo corpore, cuius caput Chriſtus eſt, & cuius omnes Sancti membra ſunt, nullo eius ſpiritu vegetantur: Planè, vt eos vocat Hieronymus, infelices, & omni lacrymarũ fontę plangendi, qui eiuſmodi blaſphemias contra Sanctos, & eorum Reliquias audent proferre: Feliciſſimos tamen dicerem, ſi veritatem perſcrutantes, errore depoſito, Sanctos venerarentur, & ſe toto corde illorum deprecationi commendarent.

Epiſt. 2 ad Rirap. contra Vigil.



SAGI-

SAGITTA XXIII.

Idiotas, & Mulierculas frustra precibus vti, quas velut Psittaci immurmurant, quod sonant non intelligentes: Precesque Rosarij, ac decem granorum sub certis numeris, nugas esse Dominicanorum, ac Franciscanorum. Seß.xxv. de. Inuoc. Sanctorum.

CLYPEVS.



QVod de Hydra finxerunt Poetæ, multorum capitum serpentem esse in Lerna Palude, quorum aliquot excisis, totidem continuò renascerentur, verissimè licet nobis affirmare de hæresi, quæ errores ita profert, vt, vno sublato, suboriantur multi; Siquidē, pluribus subinde hactenus obtruncatis, exurgunt nunc iterum duo; sed vtrumque inuictissimo veritatis gladio, vno, eodemque tempore recidemus; Etenim, quòd attinet ad Primum, cuius Author Caluinus voluit, preces omnes, ac Diuina Officia lingua recitari propria, ac materna; etsi nemo sit, qui preces, quas fundit, non paululùm intelligat, precationibus etiam non intellectis non frustra Mulierculas, Instit.lib.3 cap. 20. §.33.

atque

atque Idiotas reliquos vti, vel vno probatur dilemmate, quòd aut de publicis agimus, quæ tam pro ipsis recitantibus, quàm pro adstantibus omnibus impenduntur, aut de priuatis, quæ pertinent ad recitantes tantùm.

Si de publicis, earum fructum communem esse viuis omnibus Ecclesiæ membris, siue Doctis, siue Idiotis, ex eo euincitur, quòd Pontifex in Leuitico iubebatur, cùm Sanctuarium
Cap. 16.
ingrederetur, tàm pro se, quàm pro Populo rogaturus, è Tabernaculo vniuersos, & singulos excludere, donec, fusis precibus, ipse egrederetur. Idemque suadetur ratione, quia cum publica Ecclesiæ oratio non fiat Populo, sed Deo esto non intelligatur à Populo, vt ei prosit, satis est, vt intelligatur à Deo; Quemadmodum, Aduocato pro Rustico apud Regem orante, Rusticus hinc fructum recipit, licèt Aduocati sui orationem non intelligat. Præsertim quia Deus à Populo fidei obsequium in rebus ab Ecclesia præceptis, vel commendatis, non intelligentiam, vel ingenij subtilitatem exigit. Deinde si Ecclesia passim non frustra orat pro Fidelibus, & alijs peccatoribus absentibus, immo etiam non curantibus, ac renuentibus pro se orari, multò magis cum fructu orare censenda est pro præsentibus, & cupientibus orari pro

neces-

necessitatibus suis. Vnde Origenes; *Si vides*, inquit, *aliquando legi Scripturam in auribus tuis quam non intelligis, interim hanc primam scias, te suscepisse vtilitatem, quòd solo auditu, velut precatione quadam, noxiorum vitiorum, quæ te obsident, virus depellitur.* Homil. 20. in Iosue.

Si verò de priuatis precibus agamus: ijs Idiotas, ac Mulierculas rectè vti, argumento probatur antiquæ Legis, in qua imperitus Populus, Dei sãcito, Cæremonias Legis colebat, quas minimè intelligẽtia cõprehendebat. Quòd si quis inutiliter id factum affirmarit, blasphemus extiterit in Legem, atque in Legislatorem. De quibus quoque precibus idem Origenes ait; *Et si non intelligimus, quæ de ore proferimus, ille tamen Virtutes, quæ nobis adsunt, intelligunt, & velut carmine quodam inuitatæ, adesse nobis, & ferre auxilium delectantur.* Et Sanctus Chrysostomus; *Quid si non intelligas, quæ continentur in Sacris Libris? etiamsi non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia.* Loco cit. Hom. 3. de Lazaro.

Ac proinde cum Vratislaus Boemiæ Dux Gregorium Papam VII. rogasset de licentia dicendi Diuinum Officium lingua Slauonica, idem Pontifex illam denegauit omninò, hæc, quæ subijcimus, rescribens; *Quia verò Nobili-* Ex Registr.

tas tua postulauit, quòd secundùm Slauonicam linguam apud vos Diuinum celebrari annueremus Officium; Scias, nos huic petitioni tuæ nequaquam posse fauere; Ex hoc nempe sæpe volúentibus liquet, non immeritò Sacram Scripturam Omnipotenti Deo placuisse quibusdam locis esse occultam, ne si ad liquidum cunctis pateret, forte vilesceret, & subiaceret despectui, aut praùe intellecta à mediocribus, in errorem induceret. Et quoniam producebatur, formulam illam precandi patrio sermone, patienter à Religiosis viris admissam; *Neque enim*, adiecit, *ad excusationem iuuat, quòd quidam Religiosi Viri hoc, quod simpliciter Populus quęrit, patienter tulerũt, seu incorrectum dimiserunt, cum primitiua Ecclesia multa dissimulauerit, quæ a Sanctis Patribus postmodum, firmata Christianitate, & Religione crescente, subtili examinatione correcta sunt.*

Neque verò opponas ad eiusmodi precationũ genus illud pertinere, quod Christus Dominus ex Propheta improperat; *Populus hic labijs me honorat*; Quia, Hieronymo, & Ambrosio exponentibus, hæc Domini verba non intelliguntur de legentibus, aut recitantibus, quæ non intelligunt, sed de ijs, qui ore profitentur pietatem, ac dicunt, se Deum diligere, factis autem negãt.

Matth. 15. Isai. 19. Lib. 22. contra Faust. cap. 55.

Quod

Quòd si de orantibus dictum velis, de his interpretare, qui, quamuis nota orent lingua, volũtariè tamen ita vagantur animo, vt, quod dicũt, non intelligant. Quod idem Dominus declarat, subdens; *Cor autem eorum longè est à me.*

Quod autem ad secundum attinet: Preces Rosarij, ac Decem Granorum non Dominicanorum, aut Franciscanorum nugas, sed Deo gratas, ac sanctas oblationes esse, probatur ex eo, quòd cùm preces istæ per modum Rosarij, ac Decem Granorum Deo, ac Beatissimæ Virgini offerri solitæ, sint per se bonæ, ac sanctæ, ex quo & Oratio Dominica ab ipso Christo Discipulis tradita fuerit, & ab eodem Oraturis iniunctũ, vt sic orarent, adeò vt Concilium Toletanum illam nullo vnquam die intermitti iusserit: Et Salutatio Angelica Cælesti constet Gabrielis Oraculo; *Aue gratia plena, Dominus tecum:* & exclamatione Elisabethæ, Spiritu Sancto illustratæ; *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui;* Si preces istæ per se bonæ, & sanctæ sunt, impiè notatur nugacitatis ipsarum iteratio; quod enim bonum est, malum certè ex eo esse non potest, quòd frequentetur, ex Hieronymi sententia, dicentis; *Quod semel fecisse bonum est, non potest malum esse, si frequenter fiat: aut si aliqua culpa* *Epist. 10. contra Vigilantium.*

vitanda eſt, non ex eo, quòd ſæpè, ſed ex eo, quòd fit, culpabile eſt.

Nec vlla in numeris ſuperſtitio cenſenda eſt, cũ probato ab Eccleſia myſterio, numerus ipſe ad Dei cultum referatur; Siquidem Oratio Dominica in eiſdem precibus iteratur quinquies in honorem quinque vulnerum Chriſti, quorũ sãguine noſtra dilui peccata precamur: & quinquageſies iteratur Salutatio Angelica, quia Annus quinquageſimus Annus fuit Iubilæi, Remiſſionis, & Gratiæ, quam nobis per eũdem quinquagenarium numerum concedi obſecramus.

Ex quibus liquet, Aduerſarios noſtros in vtroque capite nugari impijſſimè, & Hæreſim in fabulis ponere nidum ſuum.



SA-

SAGITTA XXIV.

Templorum, quę Sanctis fiunt, dedicationes, & ad illa institutas peregrinationes impietatis, & Idololatrię peste laborare, Seff. xxv. de Vener. Sanctorũ.

CLYPEVS.



Geminum hìc rurſus Hæreſi, Cælitum venerationem oppugnãti, enaſcitur caput; quorum alterum Templorum dedicationes ſacrilego prorſus auſu impetit ijs verbis; *In primis iſtę horribiles, ac perniciosæ tenebrę in ipſo docentium cœtu, quaſi nubes quædam atrę, totum Cęlũ occupantes, exortę ſunt, quòd cęremonias, cultuſque humanos partim ipſimet Doctores Eccleſię, partim verò alij ſuperſtitioſi homines paſsim in Templis auxerunt; Nam Aedes ſacrę omnibus in locis extrui cœperunt ingentibus ſumptibus prorſus Gentilium more, non quidem principaliter eo fine, vt ibi Verbum Dei traderetur, ſed vt Reliquijs Sanctorum aliquis honor adhiberetur, vtque ibi Defunctos ſtolidi homines venerarentur.* Et infra; *Eiuſmodi calamitas, & peſtis fundi Chriſti in ipſa Eccleſia, &* In Præfat. Cent. 6.

inter

inter eos, qui Custodes, & Vigiles Ecclesiæ præcipuè volebant perhiberi, nascebatur.

Galu. inst. l.4.cap.13. §7. Alterum peregrinationes execratur, contendens, eas esse contra generale Sectariorum axioma, quòd omnis voluntarius cultus Deo displiceat: Itemque contra Domini dictum ad Samaritanam; *Deum adorandum in spiritu, & veritate*: Ac denique contra illud; *Tu autem, cum oraueris, intra cubiculum tuum.*

Ioan.4. Matth. 6.

Templa tamen meritò Sanctis dedicari vel vno probatur ex Sacris Litteris argumento Templi Salomonis, quod dicitur erectum non solùm ad Sacrificia, & Orationes, sed etiam ad conseruandam Arcam Domini; Quæ propterea, Templo extructo, fuit in illud magna celebritate illata: Si enim licuit hunc honorem deferre Arcæ alioquin ligneæ, quia eam veluti sedem sibi elegerat Deus; cur non eundem licebit deferre Sanctorum corporibus? de quibus Apostolus; *Membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti*: Et ipsemet Dominus ait; *Si quis vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Vnde venerabilis Antiquitas plurima erexit in honorem Sanctorum Templa. De quibus ex Latinis Patribus, Ambrosius; *Ortus est sermo de Basilica, quam condidit Apostolorum nomine*

1.Par. 1 L. 2. Paral. cap.5. 1.Cor.6. pn Apoc.3 Lib.1.epist. 5.ad Felic.

mine dedicanda. Hieronymus; *Ingredere Basilicas Martyrum, & aliquando purgaberis*. Et Augustinus; *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat*. Et alibi etiam specialius ad propositum; *Nos autem Martyribus nostris non Templa sicut Dijs, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus*. Ex Græcis quoque, Cyrillus meminit Ecclesiæ Apostolorum Hierosolymis erectæ, vbi Spiritus Sanctus descenderat: Athanasius meminit Templi Sancti Quirini: Nyssenus Templi Sãcti Theodori: Sozomenus Templi Sancti Thomæ: Euagrius Templi Sanctæ Euphemiæ, & Templi Sanctæ Teclæ, amplissimè à Zenone extructi. Et ex Concilijs non solùm Cabilonẽse Templa Martyrum nominat Basilicas, sed Cangrense expresse damnat Eustachium, tamquam contemptorem Basilicarum Sanctorum Martyrum.

Lib. 1. contra Vigil.

Lib. 20. cõtra Faustũ cap. 21.

Lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 10.

Cathe. 16.

Epist. ad solitariam vitã agentes.

Nec ingentes Templorum sumptus damnaret, si animaduerteret, hæc sensibilia esse Populo Christiano ad Diuinorum Mysteriorum scientiam fidelissimos Duces, & ad Diuinæ Maiestatis ãdmirationem, timorem, veneratione, cultum, & amorem incentiua: Eosdemque umptus vel vno commendari prædicti Hiero-

soly-

solymitani Templi exemplo, extructi à Salomone, in quo innumera pænè impensa sunt auri pondera tùm ad constructionem, tùm ad pretiosam supellectilem omni Nationi, & omni Aeuo admirandam: Itemque si expenderet
Hom. 36. in 1. ad Cor. cum Chrysostomo, in Templis vt plurimùm esse Christum in Eucharistia: & vbi est Christus, non deesse Angelorum frequentiam: & vbi tantus est Rex, totque, ac tales Principes diuersantur, ibi esse cæleste palatium, immo Cælum ipsum: Templaque, quamuis magnificentissima, & ornatissima, esse infra dignitatem Diuinæ Maiestatis, cui primò, & potissimùm dicantur.

Peregrinationes verò ad loca sancta peregrinis non eget argumentis; Siquidem quis in Sa-
Deut. 16. cris Litteris versatus ignorat, Filios Israel ter in anno, Deo ita mandante, ad Templum, ac Tabernaculum Domini consueuisse peregrinari?
1. Reg. c. 1 idemque præceptum studiosè ab Helcana, & Anna vxore, & ab ipsomet Christo cum Ma-
Lucæ 2. tre sua, & Sancto Iosepho seruatum fuisse? Et
Act. 20. Sanctum Paulum festinasse Hierosolymam, vt celebraret ibi Pentecosten? Nec ignotæ sunt peregrinationes illorum, qui ex remotioribus tàm Orientalis, quàm Occidentalis Orbis partibus Romam conuenerunt, vt Sacra Aposto-

lorum sepulchra inuiserent, ac venerarentur. De quibus Chrysostomus; *Seruorum Christi splendida sunt sepulchra, quæ Vrbem maximè Regiam occupauerunt; nam & ipse ille purpura indutus peregrè proficiscitur, sepulchra illa complexurus, &, fastu deposito, contingit Sanctos, rogans, vt sibi apud Deum patrocinentur: & Tabernaculorum Opificem, ac Piscatorem Patronos etiã mortuos deprecatur ille diadema gestans.* Cui subscribit Augustinus, dicens; *Olim Principes sæculi ad Vrbem Romam venerunt, non ad Templum Imperatoris, sed ad memoriam Piscatoris.* Sup. Psal. 88.

Peregrinationum etiam ad Sancta Hierosolymorum loca frequentiam sic testatur Hieronymus; *Nulla hora, nullumque momentum est, in quo non fratrum occurramus turbis, & Monasterij solitudinem hospitij frequentia commutemus.* Alibique; *De toto huc Orbe concurritur: Plena est Ciuitas vniuersi generis hominum: & tãta vtriusque sexus constipatio, vt quod alibi ex parte fugiebas, hic totum sustinere cogaris.* Ac rursus; *Longum est nunc ab Ascensu Domini vsque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in Doctrina Ecclesiastica virorum venerunt Hierosolymam, putantes, minus se Religionis, minus habere sciẽtiæ, nec summam, vt dici-*

In Prohem. Comm. in Dan.

Epist. 13. ad Paulin.

Epis. 17. ad Marcel.

tur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, in quibus primum Euangelium de patibulo coruscauerat. Et infra; *Quicunque in Gallia fuerit primus, hùc properat: Diuisus ab Orbe Britannus, si in Religione processerit, Occiduo Sole dimisso, quærit locum fama sibi tantũ, & Scripturarum relatione cognitum. Quid referamus Armenos, quid Persas, quid Indiæ, quid Aethiopum Populos, ipsamque iuxta Aegyptum fertilem Monachorum, Pontum, & Cappadociam, Syriam, Chelen, & Mesopotamiam, cunctaque Orientis examina?*

Et, si de hoc alicuius velis approbationem Concilij, Cabilonense illorum deuotionem & probat, & commendat, qui pænitentiæ causa peregrinantur ad limina Apostolorum, vel ad alia loca sancta: Et Nicænum refert, quòd multi peregrinationis causa proficiscerentur Seleuciam Isauriæ ad Sanctæ Teclæ sepulchrũ, multis Miraculis illustratum, & totius Orientis celebri Populorum concursu visitari solitum. (Can. 44.)

Sed quid plura? cum ipsamet suadeat ratio, vt eò Fideles confluant, vbi frequentissima videt Dei Miracula: vbi videtur Deus peculiari modo postulantibus præsens esse, eosque faciliùs exaudire.

Neque his refragatur generale Sectariorum

Axio-

Axioma, quòd omnis voluntarius cultus Deo displiceat; Quia, quicquid sit in cultu merè voluntario, cuius finis malus, vel superstitiosus, vel saltē indifferens est, secus est in cultu, qui exhibetur Deo per actus virtutum, cuius finis per se bonus est. Vnde in Psalmis habemus; *Voluntariè sacrificabo tibi*. Et, *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine*. Sic etiam distributio, quæ fit propriæ substantiæ Pauperibus, Deo gratissima est; de qua tamen non est Dei præceptū, sed solùm Christi consilium; *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da Pauperibus, & habebis thesaurum in Cęlo*. Itemque gratissimus est Deo cultus Virginitatis; qui tamen voluntariè assumitur, cum de illo Apostolus dicat, se præceptum Dei non habere, sed consilium dare, tanquam misericordiam consecutum. Et sunt alij eiusmodi innumeri cultus, qui per actus virtutum Deo exhibentur, consilij, & perfectionis, non necessitatis, & præcepti, quorum seriem vltrò prætermittimus, ne prolixiores videamur.

Psal. 53.
Psal. 118.
Matt. 19.
1. Cor. 7.

Dictum deinde Domini ad Samaritanam; *Deum adorandum in spiritu, & veritate*, non excludit peregrinationes ad loca sancta, sed solùm Samaritanorum, & Iudæorum erroneam, vt plerique explicant, opinionem arguit, quo-

rum illi Deum ſolummodò in mõte Garizim, iſti verò Hieroſolymis, non alibi eſſe adorandum, & orandum cenſebant. Nos verò, à Spiritu Sancto aliter eruditi, volumus, vbique Dominum adorari; quia locus ſanctus ad ſanctitatem quidem incentiuum eſt, non tamen eſt vas ſanctitatis, vel cauſa ſanctitatem conferens: Dei omnipotentia non includitur finibus: locis non coarctatur, quem Cælum non capit: Spiritus vbi vult ſpirat; Domini eſt Terra, & plenitudo eius: Et ſinguli quique Credentium non locorum diuerſitatibus, ſed Fidei merito expenduntur.

Verba denique Domini; *Tu cum oraueris, intra cubiculum tuum*; Ex quibus inferunt Aduerſarij, homini non eſſe peregrinandum, vt Deum adoret, & colat; non ſunt intelligenda de cubiculo materiali, ſed, vt explicat Chryſoſtomus, de cubiculo cordis; ne alioqui Dominus ſibi contradicat, vbi ait; *Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt*; Itemque illi aduerſetur Apoſtolus, dicens; *Volo, Viros orare in omni loco*. Vnde idem Chryſoſtomus ſic concludit; *Quando ergo ſic oramus, vt non quæramus humanas laudes, ſemper in cubiculo oramus, ſiue alioqui ſimus in Eccleſia, ſiue in montibus, ſiue etiã in ipſo Foro: Quando*

Hom. 76. ad Populũ.
Matt. 16.
1. Tim. 16

do autem intramus cubiculum ad orandum, & cupimus videri, tunc ſanè extra cubiculum orare dicimur.

Quiſquis igitur à via veritatis peregrinus aberras, hiſce Sacræ Scripturę Oraculis,& Orthodoxorum Patrum ſententijs cogeris Templorum dedicationem in honorem Sanctorum approbare, ac fateri cum Auguſtino, Sanctorum corpora, & præcipuè Beatorum Martyrũ, perinde ac Chriſti membra, honoranda: & Baſilicas eorum nomine appellatas, velut Loca Sancta, Diuino cultui mancipata, affectu pio, ac deuotione frequentandas. *Lib. de Dogmat. Ecclecap. 37.*



SAGIT.

SAGITTA XXV.

Seß. xxv. de Vener. Sanctorũ, & SS. Imaginibus.

Horribile etiam auditu esse, Statuam ligneam adorari perindeac Sanctissimam Trinitatem.

CLYPEVS.

In suo Talmud ord. 2. tract. 1. dist. 2.

In Alcorano cap. 15. & 17.



IVdæis, ac Mahumetanis, Ecclesias Christianorum ob Sacrarũ Imaginum cultum execrãtibus, adhærens Sagittarius noster, dolet, ac petulanter exclamat; *Horribile etiam auditu esse, adorari Statuam ligneam, perinde ac Sanctissimam Trinitatem.*

Impudentissimè autem Sanctarum Imaginum adorationem, quam probat Ecclesia, oppugnari, nos vel vno ex Sacris Litteris probamus argumento, quòd Deus ipse non solùm dedit Beseleel, & Ooliab Sculptoribus spiritũ, sapientiam, & scientiam ad excogitanda, & sculpenda multa pro ornatu Tabernaculi, sed expressè fieri, & apponi iussit Imagines Cherubim super Arcam: & alibi etiam Serpentem erigi æneum, quem qui percussi aspicerent, sanarentur; Si enim licuit venerari Cherubim

Exod. 31. & 37.

Exod. 25. Reg. 3.

1. Par. 28.

Num. 21.

super

ſuper Arcam exiſtentes; nulla eſt ratio, cur non liceat venerari Sanctorum Imagines, & Statuas in Eccleſijs conſtitutas. Quemadmodum ſi licuit, atque oportuit venerari Imaginem Serpẽtis, qui Chriſti fuit typus, nulla eſt ratio, cur non potius veneranda ſit Chriſti ipſius Imago in forma hominis. Quod argumentum placuit Iuſtino, ponderanti, ipſummet Deum Serpentis opificium præcepiſſe, & duos Cherubim ſtatuiſſe in Propitiatorio. *Num. 14.* *Ioan. 3:* *In Triph.* *Exod. 25.*

In quem ſenſum hæc, & alia Sacræ Scripturæ loca intelligens Venerabilis Antiquitas in Sacris Calicibus, teſte Tertulliano depinxit Chriſtũ in forma Paſtoris, ſuis humeris Ouem reportantis ad Ouile. Et Munificentia pijſſimi Imperatoris Conſtantini, vt refert Damaſcenus, in eo, vbi idem Imperator fuit baptizatus, loco Agnum ex auro puriſſimo, in dextera Statuam vnam argenteam Saluatoris, in ſiniſtra alteram Ioannis Baptiſtæ: & in ipſa Lateranenſi Eccleſia Imagines argenteas Saluatori, duodecim Apoſtolis, & quatuor Angelis poſuit.

Præſertim quia idem ipſe Redemptor noſter Diuino ſanè prodigio ſacras Imagines comprobauit. Qui cum ad necem duceretur, ſui vultus Imaginem in velo ſibi ad ſudorem, & ſanguinem extergendum à muliere, quam Priſci di-

xere

xere Veronicam, oblato, reliquit expressam: Quæ nunc Romæ in Vaticana Basilica asseruatur, ac certis diebus religiosè Fidelibus è sublimi spectanda, atque colenda exhibetur. Et cum iam pridem Abagarus Edessæ Rex insignem Pictorem misisset, qui ipsius Domini inter mortales agentis Imaginem exprimeret, neque id Pictor ob splendorem ex ipsius vultu manantem consequi potuisset, Dominus ipse Diuinæ suæ, ac viuificæ faciei admoto pallio Imaginem suam impressit, & ad Abagarum misit, vt ipsius cupiditati satisfaceret. Quam quidem historiam, à Sancto Damasceno relatam, fide dignissimam agnoscit Adrianus Papa: Asseritque, illam examini subiectam tamquam veram à Stephano Summo Pontifice in Concilio Romano receptam. Porrò D. Basilius ex Apostolorum Traditione processisse Sacrarũ Imaginum venerationem tacitè, & obiter docet his verbis; *Historias Imaginum illorum honoro, & palam adoro; hoc enim nobis traditum à Sanctis Apostolis non est prohibendum.*

Lib. 4. de Fide Ort. cap. 17.

Epist. ad Par. Mag. relata in in 3. tome Conc.

Et, si quandoque contigit, vt illam aliqui oppugnarent, Concilia in eos sententiam dixerũt; Ex quibus, Frãconiense sub Adriano Primo abrogauit hæresim Felicianam de tollendis Imagini-

ginibus. Romanum anno 1204. celebratum, Almericum damnauit, affirmantem, Imaginum thurificationem redolere Idololatriam. Et rursus Concilium itidem Romanum mille pænè Episcoporum sub Gregorio Tertio, Imperatorem, qui vsui sacrarum Imaginum aduersabatur, communione simul, & Imperio priuauit. *Platina in Act. Greg. Noni.*

Quibus adijce, quòd Concilium ipsum Antiochenum, Apostolorum nuncupatum, Imaginum vsum expressè approbauit, statuens in hæc verba; *Ne decipiantur saluati ob Idola, sed pingant ex opposito Diuinam, humanamque manufactam impermixtam effigiem Dei veri, et Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, ipsiusque seruorum contra Idola, & Iudæos.* Quem Canonem etiam Gregorius Pessinuntis citat, laudatque. *In Conc. Nicæno.* Et Concilium Nicænum, sub Irene Leonis IV. Imperatoris Coniuge, trecentorum quadraginta Episcoporum concursu celebratum, cum actum esset de tollendis ab Ecclesia, vel retinendis Imaginibus, statuit, retinendas, multis congestis exemplis, eoque potissimùm, quod iudicauit validissimum, Deum primum fuisse Authorem Imaginũ, qui primus sui Imaginem designauit in homine.

Neque verum illud est, quod obiectant,

nos adorare Statuam ligneam perinde ac Sanctissimam Trinitatem: Quoniam sicut nemo est inter Catholicos, qui non fateatur, Imaginem esse simplicem rei similitudinem, rem exprimentem, quæ aut fuit, aut est, vel certè formâ, qua quis apparuit, veluti Deus apparuit Isaiæ, & Micheæ sedens in Solio ad formam hominis Regis: Danieli sedens in Throno: & Amos stans super Altare: Spiritus Sanctus in forma Columbæ: & Angeli in forma humana, vestibus amicti candidis, & fulgentibus, & alati; Ita non est, qui eam vt Deum adoret, vel ante illam quasi ante Diuinitatem prosternatur. Cuius veritatis vt aliquem saltem tibi testem afferam ex innumeris, qui iam sunt obuij, Gregorius huius nominis Secundus Pontifex scribens ad Leonem Isauricum Imperatorem ex nostra Imaginum veneratione inferentem, nos lapides, & parietes, & tabulas adorare; *Non ita est*, inquit, *vt dicis, Imperator, sed vt memoria nostra excitetur, & vt stolida, imperita, crassaque mens erigatur, & in altum prouehatur per eos, quorum hæc nomina, & quorum appellationes, & quorum hæc sunt Imagines.* Et Sanctus Gregorius, transmittens Secundino imaginem, quam ipse ab eo petierat, Saluatoris, *Scio*, inquit, *quòd Imaginem Saluatoris*

Isai. c. 6. 3. Reg. 22. Dan. 7. Amos c. 9. Gen. 18. Matt. 3. Lucæ 3. Ioan. 1. Marc. 1. Act. 1.

Dialog. de SS. Imag.

Epist. ad Secundinum.

non

non ideò petis, vt quasi Deum colas, sed vt ob recordationem in eius amore recalescas, cuius Imaginem videre desideras. & infra. *Et nos quidem non quasi ante Diuinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed in Threno sedentem recordamur*. & infra, *Etsi genuflexi homines coram aliqua Imagine, aut triumphali signo sanctæ Crucis precantur, non lignum hoc, siue lapidem adorant figuratum, sed summum Deum colunt: & quem sensibus conspicere non valent, imaginem ex instituto illum referentem, venerantur, & adorant, non quidem in illa sistentes, sed orationem ad repræsentatum referentes*.

Ac propterea de sacra Imagine dicitur: *Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.*

Quòd si in hac quoque parte testimonia velis Conciliorum, sexta Synodus in Canone relata, *Venerabiles*, inquit, *Imagines Christiani non Deos appellant, neque seruiunt eis vt Dijs, neque spem salutis ponunt in eis, neque ab eis expectant futurum iudicium, sed ad memoriam, ac recordationem primitiuorum venerantur eas, & adorant*. Et in Nicęna secunda Synodo extat epistola Tharasij Patriarchæ Constantinopolitani hæc continens; *Iuxta antiquam Constitutionem* (antiquam sanè, quæ multas antecedat æta-

Can. Venerabilis de Cons. dist. 3.

tes, ſæcula prætereat) *Imaginum picturam ad inſtructionem, & memoriam mentis noſtræ Eccleſia recipit; quicquid enim ſanctum Euangelium per lectionem nobis demonſtrat, hoc idem Imagines per inſpectionem: Quicquid item libri de paſſionibus Martyrum narrant, hoc ipſum etiam Imagines ſignant: Quas recipimus tanquam effigurationes Prototyporum*. Et Baſilius Ancyranus Epiſcopus, qui prius Iconoclaſtis adhæſerat, ad meliorem frugem reuerſus, veritate cognita, crimē deteſtans, in confeſſione, quam publicè toti recitauit Patrum Senatui, hæc voluit teſtata eſſe; *Qui aſſerunt, Chriſtianos vt Deos Imagines adorare, execratio*.

Quid ergo virulentum peſtilentis Hydræ caput effutit, nos adorare Statuam ligneam perinde ac Sanctiſſimam Trinitatem?



SA-

SAGITTA XXVI.

Nouitiam esse, ac Pharisaicam Religionum institutionem: Vota impia, ac superstitiosa. Sess. xxv. de Regul.

CLYPEVS.



Ouitiam, ac Pharisaicam Sectarij pæne omnes vocant Religionum institutionem: nec verentur Religiosos appellare primarios Antichristi Satellites, inimicos humanæ societatis, Sophistas cucullatos: Monachos vocare monstra, vel vrsos: & eorum Conuentus nuncupare Schismaticorum Conuenticulas. Ita quos furor armat, & Satanæ agitat spiritus, in blasphemias concitati prorumpunt. Quarum blasphemiarum potissimus est prętextus, inter errores Vuespali relatus, quòd Nouæ Legis tempore nō liceat Consilia à Christo data pro Pręceptis recipere, quò iugum Christi amarum fiat, & graue onus Euangelij. Err. 8.

Mirum tamen non est, si tam impia in Religiones, ac Religiosos effundunt Sectarij; Cum enim, vt aduertit Magnus Antonius, omnes quidem Christianos Diabolus oderit, sed pro- Apud Athanasium.

bos

bos Monachos, & Christo dicatas Virgines ferre nullo modo possit; hi quoque Aduersarij nostri, tanquam Principis tenebrarũ filij, nequeunt Religiosæ vitę splendorem æquis oculis intueri.

Sed, vt ad rẽ proximè accedamus, quod spectat ad Institutionem Religionũ, eam non nouitiam, sed vetustissimam esse ostendit S. Hieronymus ex sacra Scriptura, vbi; *Filij*, inquit, *Prophetarum, quos Monachos nouimus in Veteri Testamento, ædificabant sibi Casulas prope fluenta Iordanis: & turbis Vrbium derelictis, polenta, & herbis agrestibus victitabant*. Et alibi; *Noster Princeps Elias, noster Elisæus, nostri Duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis*.

Epist. 4. ad Rusticum.

Epistol. 13. ad Paulinũ

Subscribit illi S. Chrysostomus his verbis; *Sicut Sacerdotum Principes sunt Apostoli, sic Monachorum Princeps Ioannes Baptista est!* Et alibi de vita Monastica; *Tanti*, inquit, *est Philosophia à Christo instituta*.

Hom. 1. in Marc.

Hom. 17. ad Pop.

Vtrique adhæret Cassianus in Collationibus, post plura ita absoluens; *Itaque Cænobitarum disciplina à tempore Prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium*. Et alibi asserit, Aegyptios Monachos à S. Marco primam viuendi normam accepisse: Quod ipsum testantur etiam Beda, Sozomenus,

18. cap. 5.

De Institutione Cænobitarum l. 2. c. 5.

nus, ac Nicephorus.

Ac denique Philo, qui, Eusebio teste, Romę, & vidit, & allocutus est S. Petrum, luculenter describit vitam, ac mores Monachorum, & sacrarum Virginum: & refert Professionem Obedientiæ, Paupertatis, ac Continentiæ, necnon rationem Ieiuniorum, Psalmodiæ, &c. *Lib. 2. c. 15. Hist. lib. 1. c. 16. Lib. de vita contempl.*

Quòd vero eadem Religionum Institutio impiè prorsus, & impudentissimè vocetur Pharisaica, colligat prudens Lector ex communibus eorum Institutis, ac Regulis, ita antiquis, vt eas referat Hieronymus, qui hæc scribit ad Rusticum Monachum; *Ad illud tendit nostra Oratio, vt doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, sed viuere debere in Monasterio sub vnius disciplina Patris, consortioque multorum, vbi ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam: hic te doceat silentium, ille doceat mansuetudinem: non facias quod vis, comedas quod iuberis, habeas quantum acceperis, operis tui pensa persoluas, subijciaris cui non vis, lassus ad stratum venias, & nondum expleto somno surgere compellaris, dicas Psalmum in ordine tuo, seruias fratribus tuis, & hospitum pedes laues, passus iniuriam taceas, Præpositum timeas vt Dominum, diligas vt Parentem, credas salutare quicquid ille præceperit, nec de Maioris sententia iudices, cuius officij est,* *Epist. 35. p. 3.*

adim-

adimplere, quæ iussa sunt.

Quæ quidem viuendi ratio tantum abest, vt cuiquam rectè sentienti Pharisaica vnquam sit visa, vt Augustinus de ea dicat; *Quis non illos miretur, ac prædicet, qui contemptis, atque desertis Mundi huius illecebris, in communem vitam sanctissimam, castissimamque congregati, simul ætatem agunt, viuentes in Orationibus, in Lectionibus, in Disputationibus, nulla superbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi; sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam, & intentissimam in Deum, gratissimum ipsi munus offerunt, à quo ita posse meruerunt.* Ipsaque Religionis disciplina tanti habetur à Patribus, vt cum Baptismo conferatur: Quos inter Hieronymus hac de re ait; *Cum, propitio Christo, ante quatuor ferme menses secundo quodammodo se proposito Baptismi lauerit, & ita deinceps vixerit, vt calcato Mundo semper Monasterium cogitauerit.* & Bernardus; *Audire*, inquit, *vultis à me, vnde inter cætera pœnitentiæ instituta Monasterialis disciplina meruerit hanc prærogatiuam, vt secundum Baptisma nuncupetur: Arbitror ob perfectam Mundi abrenunciationem, ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, quæ preeminet vniuersis vite humanæ generibus: huiuscemodi conuersatio professores, &*

Lib. 1. de Moribus Eccl. c. 31.

Epist. 25. de Obitu Blasillæ.

Lib. de Præcepto & dispens.

amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit, immo diuinam in homine reformat imaginem, configurat nos Christo instar Baptismi.

Nec nouitia, aut Pharisaica Religionum institutio ex eo dici potest, quòd Cósilia, vt aiunt, recipiat pro Præceptis; non enim ea recipit tanquam ad salutem consequendam necessaria, sed probat, ac libens amplectitur illorum actionem, qui Christi cónsilia sequentes, vitæ genus arctioris, ac sublimioris instituunt, quàm aut Lex Diuina, vel humana præscribat, aut etiam multorum infirmitas patiatur.

Verùm de Votis ipsis, Quid aliud docuisset Lutherus infamis Apostata, sacrilegus Monialis raptor, & Coniux? Quid aliud contendisset, qui docuit, etiam Deo sacratis Virginibus licere, spretis Votis, spreto pudore, & verecundia, calcata honestate, ac Religione, post datam Deo perpetuæ continentiæ fidem, trásire ad nuptias: & Christo immortali sponso repudiato, homini mortali, breuissimæ cuiuspiam captandæ causa voluptatis se sceleratissimè prostituere? Damnat vnusquisque studium, quod deseruit, & ne ab alijs accusetur, eos redarguit, qui illud prosequuntur: Militiæ desertor odit castra: Fugitiuus, ac transfuga stantes in acie commilitones exhorret.

Quàm verò pia, ac sãcta sint Religiosorũ Vota, ex hoc quisque veritatis amans potest colligere, quòd hisce veluti vinculis Religiosus Euangelica Christi Consilia sequi libere adstringatur, & sublimius, quàm Diuina, aut Humana Lege prescribatur, vitę genus instituat, cui Deus per Prophetas, & Euangelistas suos centuplum, sedes honorarias in Iudicio, & locum, ac nomen promisit nobilius in Regno Cælorum.

Adde quòd Votum Obedientiæ nititur Christi exemplo, qui *Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis*. De cuius quidem
1. Reg. 15. virtutis merito Samuel ait; *Melior est Obedientia, quàm Victima*. Vbi Glossa ordinaria rationem reddit, *Quia in Victimis aliena caro, in Obedientia mactatur, & offertur voluntas propria*.

Votum Paupertatis eiusdem Christi exemplo, & consilio nititur: Exemplo quidem, quia
Matth. 8. de Christo legimus; *Filius hominis non habet,*
Lucæ 8.
Matth. 19. *vbi caput suum reclinet*. Et alibi; *sequebantur eum mulieres, quæ ministrabant ei de facultatibus suis*: Consilio autem, quia dixit. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum, & veni, sequere me*. subdens; *& omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut*

Patrem, aut Matrem, aut Vxorem, aut filios, aut agrum propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

Votum denique Castitatis non modò fulcitur Apostoli consilio, verùm etiam singulari Beatissimæ Virginis, quæ illud emisit, insigniter exemplo: Vnde Angelo filium promittenti constanter respondit; *Quomodo fiet istud, quoniam Virum non cognosco?* Super quibus Beatissimæ Virginis verbis S. Bernardus; *Probat*, inquit, *propositi inuiolabile fundamentum, quòd tam constanter promittenti filium Angelo respõdit; Quomodo fiet istud, quoniam Virum non cognosco?* & S. Augustinus; *Hoc profectò non diceret, nisi Deo Virginem se ante vouisset*. In quo Patres, ac Theologi planè omnes conueniunt, teste Sententiarum Magistro.

1. Tim. 5.

Lucæ 1.

Serm. 4. super Missus est.

Lib. de S. Virg. c. 4.

Lib. 4. dist. 30.

De ijsdem etiam Religiosorum Votis, præter Philonis, quod supra proximè retulimus, testimonium, meminit S. Basilius Magnus in Regula Monachis tradita, vbi in toto capite de Obedientiæ Voto docet, debere Monachum Præposito parere absque discussione, quid sit, quod præcipitur, modò non sit manifestè peccatum: & talem se exhibere Præposito, quales sunt Oues ad Pastorem, & instrumenta ad Opificem comparata; addens, (quod certè suppo-

Cap. 22.

nit Votum) non obedientes excidere à salute
Cap. vlt. æterna. Et de Paupertate dicit, Monachum salutem animæ amittere, Furem esse, atque alterũ Iudam, si quid priuati possideat. Quod indicat, qualis adesset promissio, quale Votum. Ac demum de Castitate sic ait; *Itaque qui à Mundi* In Proem. *vinculis liber esse cupit, nuptias veluti compedes fugiat, vitam suam Deo consecret, & Castitatem profiteatur, vt neque facultas ipsi sit ad nuptias*. Et alibi ad Virginem lapsam; *Reuoca in* Epist. vlt. *memoriam honestam professionem, quam professa es coram Deo, & Angelis, & hominibus*.

Quòd verò hęc Vota contra Christianam libertatem inducta sint, gratis de more Lutherus asserit; Nam aut intelligit de libertate in obseruatione Decem Præceptorum, & Legis Euangelicæ; Et hoc sanè est ipsa inficiari principia; neque enim, vt alia omittam, potest aliquis se Legi subiectum negare, qui Dominum suum Legislatorem fuisse non neget: De quo Isaias; Cap. 33. *Dominus Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster, ipse saluabit nos*. Aut intelligit de libertate actionis: & eo sensu, cum Vota liberè emittant Religiosi, & sponte Deo voueant arborem cum fructibus, nihil inde detrimenti libertati accedit. Et de huiusmodi libera necessitate Augustinus, *Felix*, inquit, *est ne-*

cessitas, quæ ad meliora compellit. & Hieronymus; *Si quando sensus obnititur, manet adhuc virtute primi animi prompta voluntas, quam Deus non obliuiscens acceptat.* Potissimùm quia etiam in Diuinis Scripturis refertur; *Vouete, & reddite.* Atque alibi; *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere.*

Epist ad Armentarium. Eist.41.ad Marcellã.

Psal.75.

Eccles.5.

Nec verum est, quod adijcit, Votum Castitatis præcipuè sine diuino miraculo impleri nõ posse; Nam, fateor quidem cum Hieronymo, in carne præter carnem viuere, non terrenam esse vitam, sed Cęlestem: & in carne Angelicam gloriam acquirere, maius esse meritum, quàm habere; quippe quia esse Angelum fęlicitatis est, esse verò Virginem est virtutis, dum hoc obtinere viribus nititur cum gratia, quod habet Angelus ex natura: Vnde etiam dicitur, *semper Angelis est cognata Virginitas*; Nego verumtamen, Votum hoc citra miraculum seruari non posse; hoc enim esset contra Veritatis Oraculum ad Apostolum; *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*: & contra generalem gratiæ exhibitionem, ac promissionem cunctis à Domino factam; *Petite, & accipietis.* Cui pœnè innumera consonant sacræ Scripturę loca. Vnde Augustinus; *Casti*, inquit, *non sumus, non quia non possumus, sed quia non volumus*

Serm.de Assumpt. B.V.

2.Cor.12.

Ioann.16.

Lib.2.de Peccat.meritis c.17.

Hom. in Psal. 50. *mus*. Chrysostomus; *Non possum, ais, me continere? hoc pusillanimitatis est, & negligentiæ tuæ, quia Dei præcepta contemnere malles, quàm facere*. Et Hieronymus post multa concludit; *Non itaque Deus incusandus est, quasi donum Continentiæ non det, qui dare paratus est idoneo; sed nostra negligentia arguenda venit, quę nō egit, quod debuit, vt Deus daret*. Idemque media, quibus gratia à Deo impetretur, præscribit his verbis; *Qui petulantem, & lasciuientem carnem sentiens, debitum coniugale non valet assequi, oret, abstineat, ieiunet, corpus inedia subijciat, occasiones libidinem prouocantes fugiat, ad bona opera se conferat, & diuino fultus auxilio continere poterit, quod sibi prius impossibile suspicatus fuerat*. & infra; *Si quis existimat abundantia ciborum, potionumque frui, & carnis lubricum non sentire, hoc est versari in delicijs, & deliciarum vitijs non teneri, se ipsum decipit*. Redditque rationem, subdens; *Cum enim procul ab his remoti sępe capiamur naturę illecebris, & cogamur, ea cupere, quorum copiam non habemus; quantò magis si circundati retibus voluptatum, esse nos liberos arbitremur?* Ac rursus ait; *Sensus noster illud cogitat, quod videt, audit, gustat, attrectat: Et ad eius rei trahitur appetitum, cuius capitur voluptate*. Et adhuc infra; *Difficile est, immo impos-*

Epist. 6. cū Iouinianū l. 2. p. 1. c. 37.

Ibidem.

impossibile, delicijs, & voluptatibus affluentes, non ea cogitare, quę gerimus. Et inter reliqua (quod prætereũdum non putamus, erudite Lector) *Ama*, inquit, *scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.* *Ad Rusticũ Monachũ.*

At in eos, qui Religiosos viros, & eorum Ordines, ac Vota calumnijs insectantur, atque hostiliter prorsus inuadunt maledictis, aptum est, quod refert Ruffinus de Arianorum Duce, qui armata manu in Monachos sæuiebat, vbi ait: *Inde ad Monasteria furoris sui arma conuertit: vastat Eremum, & bella quiescentibus indicit: Et mille simul, & eo amplius viros, per totam solitudinem secreta, & solitaria habitatione dispersos, oppugnare pariter aggreditur: mittit armatam Equitum, ac Peditum manum; Tribunos, Præpositos, ac bellorum Duces, tamquam aduersus Barbaros pugnaturus, elegit. Qui cum venissent, nouam belli speciem vident, hostes suos gladijs obiectare ceruices, & nihil aliud dicere, nisi; Amice, ad quid venisti?* *Hist. lib. 11 cap. 13.*

Fatere igitur, non nouitiam, sed antiquam, non Pharisaicam, sed sanctissimam esse Religionum institutionem: Et quod olim dicebat Chrysostomus de Aegypto, dic nobiscum de Ecclesia Catholica; *Non ita va-* *Hom. 8. in Matthæum.*

rijs Astrorum Choris Cælum refulget, vt Ecclesia innumeris Monachorum, ac Virginum distinguitur, atque illustratur habitaculis.



SA-

SAGITTA XXVII.

Indulgentias esse pias Fidelium fraudes, & imposturas Romanorum Pontificum. Sess. xxvi. de Indulgē.

CLYPEVS.



CVm, quod petierat, obtinere non potuisset à summo Pōtifice Leone Lutherus, vt scilicet Indulgentijs publicandis Commissarius deputaretur, actus in rabiem, lapidem cœpit omnem mouere, vt de tanta detraheret Ecclesiæ potestate, illiquè commentitiam imaginarij erroris inureret notam. Exordium itaque sumens ab Indulgentijs, cœpit euulgare, *Illas pias esse Fidelium fraudes:* Et peruersitate in deterius procedente, ausus fuit prorumpere in huiusmodi verba; *Erraui fateor, erraui, vbì dixi, Indulgentias esse pias fraudes Fidelium: Reuoco, & dico, Indulgentias esse impijssimas sceleratissimorum Pontificum fraudes, & imposturas, quibus & res, & animas Fidelium fallunt, ac perdunt.* In Vita Luth.

Quanti autem faciendum sit hoc Lutheranæ

Tragediæ initium, communi Theologorum omnium ſententia euincitur, profitentium vberrimam, ac plane inexhauſtam redūdantiam ſuperfluentium meritorum, ſeu potius ſatisfactionum Saluatoris noſtri, Deiparæ Virginis, & Sanctorum; Ex his enim, vt docent, conſtituitur ditiſſimus in Eccleſia theſaurus pro conferendis in pios Fideles Indulgentijs. Siquidem

Prima Ioan c. 2.

cum Chriſtus ſit propitiatio pro peccatis noſtris, nec pro noſtris tantùm, ſed pro totius Mundi: eiuſque Diuina paſſio redimendis totius Orbis peccatis ſit ſufficiens: & nihilominus pro paucis tantùm ſatisfecerit, vel ſatisfaciat; hinc perſpicuè colligitur, infinitum theſaurum Satisfactionum Christi ſupereſſe in eius Eccleſia tùm pro culpis, tùm pro pænis eiſdem tēporariè debitis. Cumque ipſa pariter Sanctiſſima Virgo, quæ nullum admiſit crimen, & plurimi Sanctorum, pluſquam credi poſſit, aut mererentur eorum noxæ, & culpæ, paſſi fuerint, atque ſatisfecerint aſſiduis corporis afflictationibus, diuturnis vltrò ſuſceptis cruciamentis, ac ſupplicijs (vnde tolerantiſſimus ille tribulationum Iob dicebat; *Vtinam appenderētur peccata mea, & calamitas, quam patior, in statera; quaſi arena maris hęc grauior appareret*) Sanè oportet fateri, etiam Sanctiſſimæ Virginis, & Sanctorum

ex

exſtare in Eccleſia theſaurum ſuperfluentium meritorum, ſeu ſatisfactionum, quæ niſi per Indulgentias à ſummo Pontifice tanquam ſupremo Eccleſiæ Principe ſubſtituantur, & communicentur Fidelibus vice pænarum temporariè pro peccatis debitarum, inutiles, atque inanes forent. Vnde, & bene in Bulla indictionis Iubilei à Gregorio XIII. celebrati habetur; *Dominus, ac Redemptor noſter Ieſus Chriſtus, qui pro ineffabili charitate ſua ſerui formam accipiẽs, acerbiſſimam Crucis mortem ſubire dignatus eſt, vt Deo Patri genus humanum reconciliaret, atque in ſortem hæreditatis æternæ vocaret, volens noſtræ plenius ſuccurrere imbecillitati, vt donum hoc pretioſiſſimum ipſius ſanguine communicaret, ne lapſis poſt regenerationis lauacrum opportunum eiuſdem Diuinæ miſericordię deeſſet ſubſidium, Beato Petro Apoſtolorum Principi, eiuſque deinceps Succeſſoribus, ſuiſque in terris Vicarijs, S. Catholicę Romanę prępoſitis Eccleſię, quę cæterarum omnium Caput, Mater, & Magiſtra eſt, poteſtatem dimittendi peccata pleniſſimam reliquit. At theſauro prẹterea immenſo meritorum eiuſdem paſſionis, cui etiam glorioſiſſimæ ſemper Virginis Marię, eiuſdemq. Sanctorum merita accedunt, idcircò ditauit Eccleſiam ſponſam ſuam, eumque B. Petro, & Succeſſoribus diſpenſandum commiſit, vt*

ex eo cęteri fideles pro temporalibus pænis, ex remissis culpis sæpius remanentibus ad satisfaciendum adiuti, ad percipiendos cælestis gratiæ fructus expeditiores redderētur. Hæc Gregorius.

Ipsa verò concedendarum Indulgentiarum potestas summo Pontifici collata probatur non solùm Christi Oraculo, ad Petrum, & ad eius
Matth. 16. Successores pronunciato; *Et tibi dabo Claues Regni Cælorum, & quodcunque solueris super Terram, erit solutum & in Cælis*; Sed & ratione ipsa suadetur, quòd si erga Ecclesiam ita Christus fuit misericors, vt eam Sacerdotibus per Vicarium suum tradiderit facultatem, qua à culpa, & pæna æterna absoluerentur animæ; eiusdem misericordiæ consentaneum fuit, in suprema Ecclesiæ potestate alia relinquere media, per quæ à Purgatorij pænis possent eędem animæ liberari.

Porrò ex multorum sententia, eadem potestas colligitur etiam ex S. Pauli epistola, vbi
Ad Colos. 1. ait; *Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia*: Dicit enim se gaudere in passionibus pro alijs, & adimplere ea, quæ desunt passionum Christi, pro corpore mystico Ecclesiæ. Idemque Apo-
2. Cor. 2. stolus, cum iterum suum ad eos polliceretur ad-

uen-

tientum, vt veniens cuncta læta, ac tranquilla reperiret, adhuc absens, miseratione commotus, incestuosum illum, quem prioribus litteris tradiderat Satanæ, iam indulgens absoluit. Quod ab illis ratum haberi rogat, dicens; *Sufficit illi, qui huiusmodi est, obiurgatio hęc, quę fit à pluribus, ita vt è contrario magis donetis, & consolemini, ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur, qui huiusmodi est.* Et infra; *Cui aliquid donastis & ego; nam, & ego, quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi, vt non circumueniamur à Satana.*

In quem sensum hæc, & alia Scripturæ loca intellexerunt primarij Ecclesiæ Patres. Ex quibus Hilarius, ac Hieronymus probat Indulgentias ex verbis præfati Oraculi; *Et tibi dabo Claues Regni Cęlorum &c.* Matth. 16 Ambrosius, Anselmus, ac Dionysius ex verbis supra relatis S. Pauli; *Cui aliquid donastis, & ego.* 2.Cor.2 Origenes, atque Augustinus ex verbis itidē relatis eiusdem Apostoli; *Gaudeo in passionibus pro vobis.* Col. 1. Plerique verò & Patrum, & Theologorum eas confirmant ex Psalmo; *Particeps ego sum omnium timentium te.* Psal.118. Et ex illo Apostolici Symboli Articulo, quo Sanctorum Communionem confitemur.

Ac proinde Nicolaus Primus post quàm Epistola ad Episcopum Argentoratorum.

Matricidium deteſtatus eſſet, & ſeueriſſimas luendas pænas impoſuiſſet, ſubdit; *Tamen ſi illius conuerſionem, & lacrymarum fontem in omnibus videritis floridis actionibus, & optimis operibus pullulare, humanius circa eum ſolicitudo veſtra peruigil appareat, mitiſquè in omnibus demonſtretur.*

Can. 15. Primum magnum Nicænum Concilium de aliquibus excommunicatis ait; *Digne etiam excommunicatì ſimiliter habeantur quouſque in communì, vel ipſi Epiſcopo ſuo viſum fuerit humaniorem circa eos ferre ſententiam.* Sta-

Can. 11. tuitque, vt pro animi ardore, quo quis ſuſceperit iniunctam peragere pænitentiam, poſſit Epiſcopus indulgentiam, ne præſtitutum integrum tempus perſoluere teneatur, illi præſtare.

Et Innocentius III. in celebri Lateranenſi Concilio, cui interfuerunt duo Patriarchę, nempe Hieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus, Metropolitani ſeptuaginta, Epiſcopi quadringenti, duodecim Abbates, Priores Conuentuales octoginta, Græci, & Romani Imperij Legati, Regum etiam Hieruſalem, & Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, ac Cypri Oratores, non ſolùm Indulgentias contulit, nemine ex Patribus Pontificis facto reclamante (qui profectò, ſi quid per fraudes, & impoſturas induci con-

ſpe-

ſpexiſſent, in tanto Eccleſiæ detrimento non tacuiſſent) Sed cum ipſi Abbates id temporis preſumerent litteras Indulgentiarum expedire, idem Pontifex abuſum reuocauit: Simul & Epiſcopis præſcripſit certos limites, quos non excederent: & reſeruatam Romano Pontifici declarauit primariam facultatem. Quod factum fuit etiam ab Innocentio Quarto; & à Concilio Lugdunenſi, ipſo ſedente conuocato, approbatum. Quorum quidem Pontificum,& Conciliorum, Eccleſiam vniuerſalem repræſentantium, authoritati nihil vales opponere.

Sed quid tam multa? quando idem ipſe Lutherus, cùm ſanę eſſet mentis, in prioribus litteris hac de re ad Leonem decimum datis, refert, retroactis ſæculis Romanos Pontifices conferre conſueuiſſe, alios condonationem annuã, alios triennem, alios aliquas remittere quadrageſimas, alios certam totius pænitentiæ partem, tertiam puta, vel dimidiam, alios demum plenarias concedere indulgentias. Audebis fortaſſe dicere, tot Pontifices fuiſſe ſtupidos, bardos, atque amentes, nec in Scripturis vidiſſe quicquam?

Nec eſt, quòd nunc exclames de abuſibus; euulgantium Indulgentias; Nam quandocunque ſummis Pontificibus innotuerunt, Illi, non

igno-

ignorantes, se, iuxtà Apostoli dictum, habere Claues ad ædificationem, non ad destructioné, in deliquentes grauiter animaduerterunt; vt papatet non solùm ex Lateranensi Concilio, sed etiam ex Viennensi contra prauos eleemosynarum Quæstores, & ex ipsa Sacra Tridentina Synodo.

Clementina Abusionibus.

Frustra etiam blateras de primario, quem vocas, abusu eleemosynas sub Indulgentiarum nomine exigendi; Quia, præter collectas, quarum meminerunt S. Paulus, ac Tertullianus: quæ olim fiebant in Templis Christianorum, quasque in concione ipsemet supremus Pontifex indicebat, vt Christianis, qui Hierosolymis exuti bonis ac fortunis fuerant, subsidia transmitterentur; idem Apostolus, adhortans Corinthios ad supplendam bonis temporalibus, quibus abundabant, paupertatem Ministrorum Christi, vt eorum etiam opera bona Corinthiorum egestati in bonis spiritualibus essent supplemento, ait; *In præsenti tempore vestra abundantia illorum* (scilicet pauperum Ministrorum Christi) *inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum*. Ex quo patet, Apostolico etiam exemplo eleemosynas exigi occasione Indulgentiarum.

1. Cor. 16.

In Apol.

2. Cor. 8.

Sed hinc vniuersus Orbis agnoscat, primùm hoc,

hoc, deinde alia quàm plurima, Christianæ pietatis odio fuisse à Luthero coaceruata, & aduersus Concilium impiè effutita, quòd idem ipse, qui Summi Romani Pontificis Indulgētias impugnabat, suas quasdam euulgabat Indulgentias, siue condonationes illis, qui sc se, ac facultates proprias, immo & existimationem in hoc impenderent, vt Episcopatus, Collegia, & Monasteria funditus delerentur.



SAGITTA XXVIII.

Seß. xxv. de delectu Cibor. ac Ieiun.

Abstinentiam ab aliquibus cibis, ac Ieiunia certis diebus esse superstitiosa, & ex doctrina Dæmoniorum prodijsse.

CLYPEVS.

Cal. Inst. lib. 3. C. 12 ß. 16. & 20



QVis credat, vniuersos nostri temporis sectarios in hanc amentiam conuenire, vt blaterent, *Ciborũ abstinentiam, ac Ieiunia superstitiosa esse, & ex doctrina Dęmoniorũ* profecta fuisse? Et cum negare non valeant, quin ea maximè laudentur, & commendentur à Patribus, ex quibus inter reliqua præconia illud vnum vel maximè effert Chrysostomus,

Hom. 11 in Genes.

Abstinentium, ac Ieiunantium animas quasi pennas producere, vt in sublime ferantur, ac summa contemplari queant; Dicunt, illos esse rhetoricatos; Rhetores ipsi verè Satanici: quorum voces, & funestas prorsus Tragœdias, vt sirenum cantum, & audientium certam perniciem euitare, ac detestari monemur.

Vt autem in vtroque capite Aduersariorum amẽtia innotescat: In ijs primò, quæ ad abstinẽ-

tiam ſpectant, expendenda ſunt Sacræ Srcipturæ loca, in quibus Dominus Rhecabitas commendauit, qui non ex præſcripto inſtituto alicuius antelatæ Legis, vel Patriæ conſuetudinis ſed tantùm ex præcepto Patris ſui Ionadab abſtinerent à vino: & laudauit Ioannem Baptiſtam, qui talem habuit delectum ciborum, vt de illo teſtaretur, neque manducaſſe panem, neque bibiſſe vinum; Cui enim credimus, ſi Dei teſtimonium, teſtantis hæc iterum, non accipimus? Quis improbare audet, quod Deus commendat? Hier. 35. Luc. 7.

His adde, quòd & Paulus ad Romanos ſcribens, ait; *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum*; Modò tamen abſtinentia in Deum referatur iuxta id, quod paulò ante dixerat; *Qui manducat, Domino manducat, gratias enim agit Deo*. Rom. 14.

De Petro Apoſtolo Gregorius Nazianzenus ſcribit, ipſum lupinis minuto aſſe veneuntibus famen pellere cõſueuiſſe. De Iacobo fratre Domini nec carnes vnquam in cibum, nec vinum in potum adhibere ſolitum fuiſſe Egecippus affirmat. De Matthæo etiam hæc eadem Clemens Alexandrinus refert illis verbis; *Matthæus Apoſtolus ſeminibus, baccis, & oleribus abſque carnibus vtebatur*. Orat. de Amorpaupa. Apud Euſ. Hiſt. lib. 2. c. 22. In Pedag. lib. 2. c. 1.

Et omiſſo hìc Sanctorum Patrum Catalogo, qui eumdem Eccleſiæ Catholicæ ritũ præclaris illuſtrarunt elogijs, hoc vnum abſq. vlla dubitatione conſtanter aſſerimus, neminem reperiri Sanctorum Patrum, Catholicæ Fidei profeſſorem, qui, cum ea de re incidit ſermo, non fuerit eiuſdem Eccleſiaſtici ritus firmus aſſertor, atque egregius prædicator, immo & fidelis imitator, pariterque ſectator.

In ijs verò, quæ ſecundo loco de ſtatis Ieiuniorum diebus impiè proferuntur, ſanè Ieiunium ipſum à Deo præſcriptum, tempus ab Eccleſia ſtatutum, habes ex Auguſtino, dicente; *Ego in Euangelicis, & Apoſtolicis litteris, totoque inſtrumẽto, quod appellatur Teſtamentũ nouũ, animo id reuoluens, video præceptum eſſe Ieiunium: Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, precepto Domini, vel Apoſtolorum non inuenio definitum.*

De Ieiunio Sabbati.

Apoſtolorum autem temporibus, ijſdemque inſtituentibus, certa Ieiunij tempora eſſe definita, teſtis tibi eſt Ignatius, quo nullus fidelior adhiberi poſſe videtur, qui ea eſt proximè contemplatus, quę ab Apoſtolis agerentur, ac per eos ſubinde Eccleſiæ traderentur, & de quo nõ eſt, quod quis nedum dicere, ſed nec leuiter ſuſpicari vllatenus poſſit, alia ab ipſo fuiſſe Fideli-

delibus, quos instituit, suis epistolis proposita, quàm quæ vidisset ab Apostolis vsu probata, & Fidelibus ipsis tradita; Is enim scribens ad Philippenses, quos Paulus in Fidem instituerat, ne certorum dierum Ieiunia negligant, inculcat his verbis; *Quadragesimale Ieiunium ne spernat is; continet enim exemplum conuersationis Dominicæ: Post Passionis Dominicæ hebdomadam ieiunare quartis, & sextis ferijs ne negligatis, ciborum reliquiàs pauperibus elargientes.* Epistola 8.

Quare etiam Hieronymus ad Marcellam; *Nos* inquit, *vnam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno, tempore nobis congruo, ieiunamus*. Et S. Leo de eodem Ieiunio agens, ait; *Meritò à Sanctis Apostolis per doctrinam Spiritus Sancti maiora sunt ordinata Ieiunia, vt per commune consortium Crucis Christi etiam nos aliquid in eo, quod propter nos egit, ageremus*. Atq. alibi; *Quod ergo, dilectissimi, omni tempore vnumquemque conuenit facere Christianum, id nunc deuotius exequendum, vt Apostolica institutio quadraginta dierum Ieiunio impleatur, non ciborum parcitate tantummodo, sed priuatione maximè vitiorum.* Serm. 9. de Quadr.

Cui subscribit Ambrosius, dicens; *Non leue peccatum est Fidelibus, indictam à Domino Quadragesimam non ieiunare, & Ieiunia consecrata* Serm. 3. in Quadrag.

vem-

ventris voracitate dissoluere. Et alibi contra Aduersarios in hunc modum argumentatur; *Qui dicit, se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, ipse ambulare: Si ergo vis Christianus esse, debes quod Christus: Ille peccatum non habebat, Quadragesimam ieiunauit, Tu non vis ieiunare, qui peccas? Ille pro nostris ieiunauit peccatis: Qualis ergo apud conscientiam tuam Christianus es, cùm, Christo pro te ieiunante, tu prandes? cùm, Saluatore pro te ieiunante, tu reficeris?*

Hom. 16. in Quadrag.

Ieiunia etiam Quatuor anni Temporum ex Apostolica institutione sumpsisse principium, S. Leo ab squè vlla hæsitatione confirmat, vbi post repetitam Ieiunij ipsius originem, dum eiusdem obseruationis affert rationem, hæc ait; *Ideo enim ipsa continentię obseruantia quatuor est assignata temporibus, vt in id ipsum totius anni redeũte decursu cognosceremus, nos indesinenter purificationibus indigere.* Et alibi dicit; *Huius obseruantiæ vtilitas, Dilectissimi, in Ecclesiasticis pręcipuè est constituta Ieiunijs, quæ ex doctrina Spiritus Sancti ita per totius anni circulum distributa sunt, vt lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus.*

Serm. 9. in Ieiun. Mensis 7

Serm. 8. in Ieiun. Mensis 10.

Tantaque religione veteres Christiani Ieiunia sectati sunt, vt de eis Tertullianus referat; *Nos* (Christiani) *Ieiunijs aridi, & omni conti-*

nen-

nentia expressi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco, & cinere volutantes, inuidia Cælum tundimus, Deũ tangimus: Et Lucianus licèt, impius Apostata dicat, sic solitos fuisse seruare Ieiunium vt, *Decem Soles sine cibo transigerent*. *Philo* itidem refert, Viros illos adeo amasse Ieiunium, vt aliqui triduum, alij sex dies sine cibo transmitterent. Epiphanius verò scribit, suo tempore fuisse in Ecclesia, qui biduum, ac triduum, ac etiam integram hebdomadam traducerent sine cibo. Ac denique, vt plures ea de re testes omittam, S. Augustinus de antiquis Romanorum Ieiunijs, *Romæ*, inquit, *Ieiunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est vsquequaque vsitatissimum, sed continuum triduum, vel amplius sine cibo, & potu ducere; neque hoc in viris tantùm, sed etiam in Fœminis*. Quippe quia, vt tradunt plerique, numquam melius superni Iudicis ira pacatur, quàm cum ex mandato ipsius carnalia in nobis desideria Ieiunio exstinguuntur:

In Philop.

Lib. de vita Theonica supplicium

an Doctrina Comp.

Lib. de Moribus Eccl. car. 33.

Nec à cibis tantùm, sed etiam à voluptatibus verè deuoti ieiunabant; vnde, ne plurimos cógerã, S. Petrus Damianus ad Agneté Imperatricem scribens, inquit; *Ieiunium Regina tuum multiplex est; nos enim aliquando ieiunamus à cibis, sed tu*

Epistola ad Agnetem Augustam

ieiu-

ieiunas à purpura, ieiunas à corona, atque à quotquot magnificis Imperialis gleriæ pompis, Subditque; *Hìs enim abstinere non immeritò Ieiunium nuncupatur, quibus vtique mens tamquam carnalis delectabiliter pascitur.*

Ex quibus Pius Lector intelligit, Doctrinam Abstinentiæ, ac Ieiuniorum, quã probat S. Synodus, non ex Dæmoniorum officina, sed ex Diuino Ecclesiæ Armamentario prodijsse, quicquid insaniant, qui lautis solummodò epulis addicti, & exhauriendis calicibus assiduè vacantes, cibi, ac potus exundantia & corpus, & mentem ipsam obruunt: adeoque Templa illa Deo viuo consecrata, velut pingues Epicuri de Grege Porci, nefariè violant, atque profanant.



SAGITTA XXVIIII.

Dies omnes æquales esse, & qui non peccat, festum semper habere diem.

Sess. xxv. de Diebus Festis.

CLYPEVS.



QVi Dæmonum Festa sectantur cũctis diebus, & instar Bacchantum viuunt etiam in hebdomade Passionis filij Dei, quæ saxa posset prouocare ad luctum, & lachrymas, insectantur Festa Catholicorum; contendentes; *Omnes dies æquales esse, & qui non peccat, festum semper habere diem.* Ambiguè tamen ita rem concinunt (qui, Hieronymo teste, mos est Hæreticorum omnium) vt aliter Catholicus, aliter eorum perfidię Sectator intelligãt; Cũ enim dicunt, omnes dies æquales esse: non licere vllo die peccare, non audet contradicere Catholicus, qui fatetur, omnes dies pares à Deo cõditos fuisse quoad naturam, nullumquè concedi tempus ad peccandum: Cum verò inter se versantur, apertius loquentes, dicunt, licere quidlibet quouis die operari, cum omnes dies æqua-

In Apolog. in Hæres. Orig. 32 Ep

les ſint: Vnumquemque pro victu operari poſſe die feſto, qui victum non operanti non pręſtat: Nec plus Deo ſacri cultus impendi debere, aut magis Diuinis vacandum die feſto, quàm alio; quia qui non peccat, feſtum ſemper habet diem, quicquid agat ſeruilis operis.

Cui quidem Obiecto vt ex inſtituto ſatisfaciamus, Primò vtique fatemur, qui non peccat Feſtum ſemper habere diem, immo addimus cum Chryſoſtomo, tunc ſolùm nos veram ſolemnitatem peragere, cum ſpiritualis vitæ continuè cultum augemus: Et cum Ambroſio, Feſtum Domini eſſe, vbi perfectarum virtutum gratia eſt, virtuteſque perfectas eſſe, ſi ſolicitudinum ſæcularium, & corporalis illecebrę victor animus, delinimenta voluptatis excludat, liber à ſæculo, Deo deditus; Sed dicimus, non bene hinc inferri, Feſta minime diſtinguenda, aut ſeruanda eſſe: aut ſine vllo ſcelere ea negligi, & omitti poſſe; quin potius ſacrilegum crimen eſſe, cultum, & celebritates myſteriorum Chriſti, & Sanctorum contemnere, vt Hæretici faciunt.

Ho. m. ſuper Matth. de Cain, & Abel lib. 2. cap. 2.

Cæterùm Aduerſarios noſtros inſigniter deſipere probamus ex S. Scriptura, ex qua perſpicuè habemus, Deum, poſtquam ſex diebus vniuerſa condidiſſet, ſeptimo requieuiſſe, ac voluiſſe,

Geneſ. 2.

cum

eum diem sanctum esse, cum dicat; *Requies Sabbati sanctificata est Domino*. Vbi Glossa Interlinearis notat; *Vt illi soli vacetis*. Et alibi; *Sex diebus facietis opus, septimus dies vobis erit sanctus, Sabbatum, & requies Domini. Qui fecerit opus in eo occidetur*. Qui quidem dies fuit ab Apostolis in diem Dominicum commutatus, vt testatur Concilium Laodicense, ne Christiani Iudęos imitari viderētur: & quoniam in illo Christus Dominus è Sepulchro resurrexit. Vnde Augustinus; *Præponitur dies Dominicus Sabbato fide resurrectionis*. Atquè alibi; *Dies Dominicus non Iudæis, sed Christianis resurrectione Domini declaratus est, & ex illo suam festiuitatem habere cępit*. Cum quo consentit Ambrosius, dicens; *Dominica ideò venerabilis est, atque solemnis, quia in ea Saluator veluti Sol oriens, discussis Infernorum tenebris, luce resurrectionis emicuit*.

Exod. 16.

Exod. 35

Cap. 29.

Epistol. 86. ad Casulan. Epistol. 18. c. 13. ad Ianuarium.

Serm. 61. de Pentecoste.

Eadem Aduersariorum nostrorum insipientia, vel potius impudentia euincitur ex Festis Natalis Domini, Paschatis, Ascensionis ipsius Domini, & Pentecostes, quæ omnia ex Traditione Apostolica in vniuersa Ecclesia seruari docet Augustinus ad significanda Mysteria redemptionis. De quibus etiam Chrysostomus dicit, *Festum Natalis esse Festum maximum*.

Epist. 118. & 119.

Hom. de Philogono.

Orat 2. de pascha: Nazianzenus appellat Festum Pasche *Festum festorum, & celebritatem celebritatum, tantò cæteris omnibus maiorem, quantò sol syderibus excellit:* Et alibi vocat diem illum *Regem dierum*.

Orat: de Ob: Patris:

Sed ne ijdem nostri Aduersarij iure dicāt, se de his quidē minus dubitare, sed difficultatem versari in Festis Sāctorum, quorum obseruationem à paucis retro sæculis cæpisse blaterant; Dicant Primùm obsecro, an nouerint, Iudæos habuisse Neomenias per singulos menses, Festa Paschalia, & Pentecostes, nec non & Tabernaculorum per septem dies celebranda præter Sabbata à Deo eis constituta: ac præterea celebrasse Festa pro Victoria Iudith, pro liberatione Populi peracta ab Hester Regina. Quæ si ignota, ac grauia non sunt, Quid ergo graue, si apud Christianos Festi dies celebrentur pro diuersis à Christo, & Sanctis Populo præstitis beneficijs? atque vt eorumdem beneficiorum gratias agamus. Quibus hæc quoque accedit ratio, vt Sanctorum exempla ad imitationem nos prouocent, & vt illorum imploremus patrocinium.

Porrò hunc Festorum agendorum ritum non nouum esse, sed vetustum, intellige ex S. Clemente, qui Primo post Domini aduentum sæculo in suis Constitutionibus seruari iussit Festa Apostolorum, & Martyrum. Vide ex se-

Lib:8 :c: 39

cundo

cundo sæculo Ecclesiæ smyrnensis Epistolam ab Eusebio relatam, quæ habet; *Eorum memoriam, qui prius passi fuerant, celebramus, vt sequentium animi ad Prædecessorum viam exemplis insignibus excitentur*. Audi ex tertio sæculo S. Cyprianum, qui, *Dies*, inquit, *eorum, quibus excedunt, annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus*. Quo etiam sæculo Origines Festum Innocentium puerorum ex eo rectè in Ecclesia celebrari censet, quòd illi fuerint *Martyrum Primitiæ*. Quod ipsum passim testatum reperies apud Patres quarti, ac quinti sæculi; Inter quos Augustinus expresse ait; *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat*.

Lib. 4. c. 5.

Lib. 3. Ep. 6

Hom. 3. in Evan.

Et si de eadem Festorum obseruatione Imperatorum quoque testimonia velis, ex eodem quarto sæculo Theodosius, Præceptis Ecclesiæ insistens, & obtemperans, ita sanxit; *Dominico, qui septimanæ totius primus est dies, & Natali, atque Epiphaniorum Christi, Paschæ, & Quinquagesima diebus, quamdiu cælestis lumen lauacri imitantia nouam Sancti Baptismi lucem vestimenta testantur, quo tempore & memoratio Apostolicę passionis totius Christianitatis Magistræ à cunctis ritè celebratur; omni Theatrorum, atque Circensium voluptate per vniuersas Vrbes earūdem*

L. 5. C. de Spectaculis

dem Populis denegata, totæ Christianorum, ac Fidelium mentes Dei cultibus occupentur. Si qui etiam Iudæi impietatis amentia, vel stolido Paganitatis errore, & insania detinentur; aliud esse supplicantium nouerint tempus, aliud voluptatum. At ne quis existimet in honorem Numinis nostri veluti maiore quondam Imperialis officij necessitate compelli, nisi, Diuina religione interrupta, spectaculis operam præstet, subeundam forsitan sibi nostræ serenitatis offensam, si minus circa nos deuotionis ostenderit, quàm solebat; nemo ambigat, quòd tunc maximè mansuetudini nostræ ab humano Genere defertur, cùm virtutibus Dei Omnipotentis, ac meritis vniuersi obsequium Orbis impenditur.

Cui eodem Dei venerandi, & Ecclesiæ obediendi sensu non absimilem Sanctionem adiecit Leo Imperator, quam hìc profero; *Dies Festos, Maiestati altissimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari, nec vllis exactionum vexationibus profanari; Dominicum itaque diem ita semper honorabilem decernimus venerandum, vt à cunctis executionibus excusetur. Nulla quemquam vrgeat admonitio, nulla fideiussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, aduocatio delitescat: sit ille dies à cognitionibus alienus, Preconis horrida vox silescat, respirent è controuersijs liti-*

Ex ult. C. de Ferijs.

litigantes, & habeant fœderis interuallum: ad se se simul veniant aduersarij non timentes, subeat animos vicaria pœnitudo, pacta conferant, transactiones loquantur. Nec huius tamen religiosi diei otia relaxantes, quemquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die sibi vendicent scena theatralis, aut Circense certamen, aut ferarum lachrymosa spectacula. Et si in nostrum Ortum, aut Natalem celebranda solemnitas inciderit, differatur.

Sed ne Beatissimæ Virginis, quam potissimùm cunctis cordi esse cupimus, Festa taciti præterijsse videamur, De Festo Sãctissimæ eius Natiuitatis meminit S. Petrus Damianus, qui tres de illo sermones reliquit: De Festo Annunciationis meminit S. Athanasius in sermone de S.Deipara: De Festo Purificationis extant Orationes Sanctorum Gregorij Nysseni, & Chrysostomi: Ac de Festo Assumptionis extat Oratio Andreę Cretensis, & meminit S. Gregorius in Antiphonario.

Quis igitur non affirmet, huiusmodi obiectum hæresim prorsus esse ineptam, stolidam, & amentem? Vt in hoc quoquè Apostolicum de Hæreticis impleatur Oraculum; *Insipientia eorum manifesta erit omnibus.* 2.Tim.3.

SA-

SAGITTA XXX.

Sess. xxv. de recipiendis & obseruandis Decretis Concilij.

Non esse aliam Credendi Regulam, nec alium Controuersiarum Iudicem nisi Sacram Scripturam.

CLYPEVS.

Super Ioan 16. 22.



Ptè Augustinus; *Omnes insipientissimi Hæretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum, quas maximè exhorret sensus humanus, hac occasione Euangelicæ sententiæ colorare conantur.* Post quàm Sacram Scripturam suo deprauauit arbitrio, & suis illam somnijs accommodauit, hoc in primis Sectatores suos docuit Lutherus, *Scripturam*, scilicet, *esse solam Credendi Regulam, solum Iudicem Controuersiarum.* Tantaquè hoc effutit arrogantia, vt imperio plusquàm Pythagorico dixerit; *Ego verò aduersus dicta Patrum, Hominum, Angelorum, Dæmonum pono non antiquum vsum, non multitudinem hominum, sed Maiestatis æternæ Verbum Euangelion. Hìc sto, hìc sedeo, hìc maneo, hìc glorior, hìc triumpho, hìc insulto Papistis, Themi-*

Lib. in Angliæ Regem

stis,

stis, Henricistis, Sophistis, & omnibus portis Inferi.

Quàm verò in hoc desipiant Hęretici omnes vel hac vna probatur ratione, quòd, si sola Scriptura esset credendi, ac iudicandi Regula, per eam excluderentur Diuinæ Reuelationes, quas supra ostendimus, omnino ad eandem Regulam pertinere. Et, si cuique liceret S. Scripturam explicare, & ita explicatam proferre; prout illam intelligit, nullus daretur veræ intelligentiæ Iudex, nullus esset contentionum finis, nullus dissensionum, & contradictionum terminus; perindeac lites in Ciuilibus nunquam absoluerentur, si nulla esset decidendi Regula, nisi Codex Iustiniani, nec quisquam esset, qui textus hinc inde productos explicaret: & breuì Religio in mille discinderetur Sectas. Quapropter re ipsa Lutherani, Caluinistæ, & Anabaptistæ, eam Regulam sequentes, in grauissimis Fidei Articulis inter se acerbissimè dissentiunt, & se inuicem Schismatis damnant: Nec solùm Sectæ inter se, sed etiam intra se ipsas diuiduntur; ex Lutheranis enim numerantur septem ab eodem Authore, ac Magistro nominibus, ac dogmatibus discrepantes: Ex Caluinistis duæ, Protestantium scilicet, & Puritanorum. Et ex Anabaptistis quatuordecim, distinctæ itidem

Ad Sag. v II

nominibus, ac dogmatibus: & dùm quiſque pro ſuo captu, ac iudicio Scripturam intelligens, non Scripturam Regulam credendi, ſed propriam habet commentationem, tot oriuntur Hæreſes, quot Hæretici.

Idque iuſto Dei iudicio fieri plerique aduertunt, quia, qui tantopere Sacram Scripturam profitentur, etiam nomine Euangelici, renuunt parere ipſi Scripturæ, quæ in dubijs Fidei ad Eccleſiá illos remittit, vt perſpicuè intueri quis poteſt in Deuteronomio ita præſcribente Deo; *Si difficile, et ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam, lepram, & non lepram, & Iudicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quęreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius: ſequeriſque ſententiam illorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Et alibi dicitur; *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt*; Neque enim fas eſt dicere, Deum minus aſſiſtere hodie Eccleſiæ ſuæ,

Deut. 17.

Malach. 2.

quàm

quàm olim aſſiſteret Sinagogæ; Immo, cum in Lege Gratiæ ſimus, longè maximum illi lumen, & auxilium impertiri credendum eſt. Iuſto, inquam, Dei iudicio permittũtur labi in operationem erroris, & credere mendacio; quòd olim prædixit Apoſtolus his verbis; *Eo quod Charitatem Veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.* 2.Teſſal.2

Præſertim quia non ſolùm renuunt in dubijs Eccleſiam cõſulere, ſed, omiſſis locis perſpicuis, vbi Scripturæ, vel Patres apertè, ac de induſtria rem explicant, mentemque ſuam aperiunt, captant obſcura, ſicubi obiter, & aliud agentes rem attigunt: Nec aliud quærunt, quàm quo Veritas poſſit in ſpeciem oppugnari, & à Fidelium cordibus auelli. Quod Hæreticorum proprium eſſe ponderat Tertullianus, de illis, dicens; *Hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, non ſi iacentibus eleuationem operentur.* De Preſcr

Et quod adhuc intolerabilius eſt, deprauant Textus ipſos impudentiſſimè, ijſque ſic deprauatis ſe vti poſſe contendunt ad deciſionem cauſarum. Cuius rei exemplum habes ſupra relaſarum. Cuius rei exemplum habes ſupra relatum Lutheri; qui, cùm verbis Sancti Pauli, *Arbitramur hominem iuſtificari per Fidem*; Ipſe de ſuo Ad Sag.VI Rom.3.

ſuo adieciſſet, *ſolam*, Amico admonenti, corruptelam illius loci fuiſſe à Catholicis animaduerſam, reſcripſit monens, vt moroſos Papiſtas ſuæ vnius voluntatis authoritate, ſuoque vnius nomine reprimeret.

Ep. ad Amicum de voce sola.

At ne dicas, hoc cæteris imponi, Hæreticum accerſi (quod nos etiam aliquando experti ſumus) De his diſſere; Proponet obſcura, nihil enim eſt in Fide noſtra adeo perſpicuum, quod non locis aliquibus Scripturæ, vel Patrum obſcuris in ſpeciem oppugnari valeat. Affer tu clara; Perſiſtet vrgere dubia, vt ſi poſſit, te in dubitationem primum trahat, ſicque altero pede dimotum, vno poſtea ictu facilè in terram proſternat. Dic, dubia explicari, ac declarari à Patribus; Reſpondebit, Patres fuiſſe homines errori obnoxios, ſe autem niti Verbo Dei, quod errare non poteſt. Dic etiam Patres niti Verbo Dei; Reſpondebit, eos mẽtem Dei non fuiſſe aſſecutos, ac proinde deceptos. Si interroges, quomodo ſciat, hos fuiſſe deceptos, ſe autẽ minimè; Repetet, id eſſe euidẽs ex Verbo Dei. Ac deniq. ſi inſtes, quomodo euidẽs id eſſe poſſit, quod tã variè explicatur à Lutheranis cõtra Caluiniſtas, & à Caluiniſtis contra Lutheranos; Euidens eſt, inquiet, habenti ſpiritum, non alijs: atque ita referunt vltimum iudicium ad ſpiritum priuatum

tum

cum; & ex eorum ſententia Scriptura euidens eſt habenti ſpiritum; is, cui euidens non eſt, ſpiritum non habet. Sic ambulantes in circuitu, ac principium repetentes, ea fallaciter reſoluunt, quæ maximè obſcura ſunt, & nemini alij ita conſtare poſſunt.

Tantoque minus ſola Scriptura, priuatò intellectu, nec ab Eccleſia probato explicatã, cenſeri debet credendi, aut iudicandi Regula, quòd cauſa Religionis, quæ toti Eccleſiæ communis eſt, à Priuatis iudicari non debet, qui nullam in Eccleſia dignitatem obtinent, ſed ab ipſo vniuerſalis eiuſdem Eccleſiæ Capite (à quo ſæpius eam in rem Concilia indicta, & adhibita fuere) Cuius enim eſt, Vniuerſitatem, ſiue in Temporalibus, ſiue in Spiritualibus regere, eius eſt, lites, ac controuerſias, amotã omni contradictione, dirimere. Quare re ipſa habemus, à Siluestro damnatam Arianam Hęreſim in Nicæna Synodo; à Damaſo Macedonianam in Conſtantinopolitana Prima: à Cæleſtino Neſtorianam in Epehſina: à Leone Primo Eutychianam in Chalcedonẽſi: ab Adriano Primo in Nicæna Secunda Iconomachorum: ac denique, vt alias omittam, à Leone IX. in Synodo Romana, & Vercellenſi damnatam eſſe Berengarianam de Euchariſtia; Quam etiam damna-

damnauit Victor II. in Synodo Turonensi, Nicolaus II. in Romana, & Gregorius VII, in alia itidem Romana.

Fatere proinde, si sapis, non tantùm Sacram Scripturam, nec ea methodo, quam tu asseris, sed Ecclesiam ipsam esse veram credendi, ac iudicandi Regulam. Detestare Lutheri, ac Sectatorum eius amentiam, atque impietatem.



SAGITTA XXXI,

Religionem Lutheranam, & Caluinianam, non autem Romanam, vt aiunt, ac Tridentinam Euangelicam esse, & Catholicam, ex Codicibus, obtegendæ veritatis causa prohibitis, apertè probari. Seff. xxi. de Indice libr. Catehelismo &c.

CLYPEVS.



Vdite Cæli, quæ plangimus: Sciat Terra gemitus cordis nostri: Doleant tantæ deliramentum impietatis Catholici Christiani: & in detrimentis Fidei Fidelis Populus ingemiscat. Eò cæcitatis, ac perfidiæ Aduersarij deuenerunt, vt contendant, Religionem, vt vocant, Lutheranam, & Caluinianam, non autem Romanam, ac Tridentinam esse Euangelicam, & Catholicam. Quibus vt Principes, ac Populi, tanquam vera asserentibus, propensioribus animis fidem accommodent, probari hoc dicunt ex Codicibus obtegendæ veritatis causa prohibitis. Simiæ, vt aptè aduertit Chrysostomus, Catholicorum; Nam, sicut hę In Hom. 19 super Matt.

ho-

homines imitantur, at re vera non sunt, immò prauæ bestiæ; sic Hæretici se Euangelicos simulant, & Catholicos, nec huiusmodi sunt, sed hostes Euangelij, ac veritatis, & lupi rapaces, ac ministri Dæmonis: Et ex Nazianzeno sũt veluti Chamæleontes, quia quemadmodum hi transformant se in omnem colorẽ pręter quàm in album, sic Hæretici omnem Fidem recipiunt, præter veram, Catholicam, ac Romanam.

Orat. 1. con Iulian.

Nos porrò Religionem, quam Roma profitetur, & asserit Tridentina Synodus, verè Euangelicam, & Catholicam esse probamus triplici solidarum rationum fundamento.

Primò quidem, Ex Doctrina; Ex qua profectò apparet, qualia censenda sint in comparatione Romanorum Dogmatum multa, in quibus conueniunt Lutherus, & Caluinus, facti amici instar Herodis, ac Pilati in Catholicæ Fidei oppugnationem.

Romana enim Religio docet, ãnimum à rebus terrenis auocare, & ad cælestia transferre; qui potissimus Religionis est finis, ex Diuino Sapientis Oraculo; *In omnibus vijs tuis cogita illum.*

Prouer. 3.

Lutherana, & Caluiniana hoc totum destruũt; Siquidem, Libertatem negantes Arbitrij, docent,

Lut. in Ass. art. 36.

docent, omnia ineuitabili necessitate fieri, nec posse hominem vias suas bonas facere, aut malas: & in omnibus profitentur Libertatem, quam vocant, Euangelij, ac Spiritus, Calu. Inst. lib. 1. c. 16. §. 8.

Romana vbique hortatur ad bona opera, ex Diui Petri admonitione; *Fratres, satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*: & præmijs etiam vrget ad illa, mercedem centuplam promittens ex Prophetis, & Euangelistis. 2. Petr. c. 1.

Lutherana, & Caluiniana docent, Doctrinam operum esse Doctrinam Dæmoniorum: & per hanc multum iniuriæ inferri Christo, & detrahi merito Passionis eius infinito; adeò, vt Lutherus non erubuerit affirmare, *Se pro meritis Sancti Petri ne vnum quidem obolum daturum*: Et Caluinus, audacia non inferior, dixerit, *Omnia opera hominum, si sua dignitate censeãtur, nihil nisi inquinamenta, & sordes esse*. Ac præterea docent, *Hominem per omnia sua bona opera nihil apud Deum mereri, nihilò fieri ipsi gratiorem, nihilò iustiorem, nihil amplius præmij habiturum, siue plurima, siue pauca, siue nulla bona opera fecerit*. Lut. in Praeo. x. Calu. l. 1. c. 17. §. 1. & l. 3. c. 12 §. 4. Lut. art. 31 & 36. & l. de Captiu. Babyl. c. de Bu ch. Cal. l. 3. c. 12 §. 4. & c. 14. §. 9

Romana docet obseruationem Præceptorum Dei; dicente ipsomet Domino; *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Itemque obedientiam

Matt. 23. Prælatorum; ex eiusdem Domini verbis; *Omnia quę dixerint vobis, seruate, & facite.*

Lut. Serm. de Moyse. Lutherana, & Caluiniana docent; *Decalogum non pertinere ad Fideles*: Et *Præcepta Diuina tamquam impossibilia non obligare: Nec esse homini ius vnius Syllabę constituendæ super Christianum hominem, nisi id fiat de eiusdem consensu.* Quare præcipuè Lutherus ausus est dicere; *Summa ars & sapientia Christiana est, nescire Legem.* Et in Epistola, quam Fidelem inscripsit ad Christianos omnes Admonitionē ipse Fidei Oppugnator, & hostis; *Dic*, inquit, *scribe, prædica, quoniam Leges humanæ nihil sunt.*

Cal. l. 2. c. 7. §. 5.

Lut. in lib de Capt. Babyl. & super Epist. ad Galat.

Romana proponit multa quoque Consilia sublimioris vitę perfectioni conducentia, veluti Vota Monastica, quæ Scriptura quidem non præcipit, sed consulit volentibus vitam sequi perfectiorem: & potissimùm commendat Virginitatem, de qua Apostolus ipse, *Præceptum*, inquit, *Domini non habeo, consilium autem do.*

Matth. 19

Ioān. x.

1. Cor. 7.

Lut. de vita Coniug. Lutherana, & Caluiniana docent; *Nulla esse Euangelica Consilia.* Et *Vota esse retia Satanæ.* Et (quod horret animus cogitare) Luthero præcipuè Magistro, docent, *Tàm necessarium cuique esse, rei Vxoriæ operam dare, quàm edere, bibere, ac dormire.* Ac proinde *Omnibus*

Cal. l. 1. c. 3. §. 17.

du-

ducendas esse Vxores: Si Vxor debitum neget, accedendum ad Ancillam: Et *Mulierem, quæ è Viro suo concipere nequit, posse ad alium transire, à quo fæcundetur.*

Romana per Doctrinam Sacramenti Pænitiæ exigit dolorem de peccatis, eorumque singulorũ confessioné, emendandæque vitæ propositum: & insuper docet, homini, qui per Confessionem, vel Contritionem à culpa, & pæna æterna liber est, remanere tamen plerunque obligationem ingentis pænæ temporalis, quàm nisi Penitens per bona opera redemerit in hac vita, luendam deferet post hanc vitam acerrimis pænis Purgatorij; vt ita auertatur Peccator à vijs suis malis, & in vijs Domini conuersus ambulet.

Lutherana, & Caluiniana docent; *Pænitentię Sacramentum esse inuentum humanum, carnificinam conscientiarum, & meram superstitionem.* Immo Contritionem hominem facere hypocritam, & magis peccatorem. Audi Lutherum; *Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœtorem, amissionem æternæ Beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis, hæc Contri-* Lut. in Aß. 6. Cal. lib. 4. c. 19. §. 7.

tio facit hypocritam, & magis peccatorem. Negantque Satisfactionis necessitatem, ac Purgatorium, & omnem animaduersionem temporalem animarum post hanc vitam; docentes, *remissa culpa, nullam remanere obligationem pænæ temporalis*. Vno Verbo; *Solam Fidem sufficere ad remissionem omnis culpę, ac pęnæ, nec aliud omninò requiri*.

Lut. in Ass. Art. 1. 5. & 6. & in Ep. ad Val. De Euch. Cal. l. 3. c. 4. ss. 38. c. 5. ss. 6. & c. 11. ss. 1. 3 & 14.

Denique (vt multa studio breuitatis omittam) Romana docet, hominem debere semper esse de propria salute sollicitum; quemadmodum Diuinæ Veritatis Oraculum nos præmonet; *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam*. Ne scilicet quis aut tentationi succumbat, aut per incuriam labatur; Sed si quid per humanam fragilitatem commiserit, expiare non differat, & emendare. Itemque docet, non posse scire hominem, odione, an amore dignus sit; Vnde oritur vtilis ille timor, de quo in Prouerbiis; *Beatus homo, qui semper est pauidus*.

Matt. 25. Eccl. 9. Prouer. 28.

Lutherana, & Caluiniana docent, *Habenti fidem specialem nullum peccatum imputari: & cuique firmiter credẽdum esse, se esse ad vitam æternam prædestinatum*. In quo Dæmon adeò plurimos dementauit, vt, Surio teste, in Heluetijs anno 1527. trecenti, instar pecudum, citra omnem pudorem se commiscentes, ne Virgini-

Lut. de lib. Xpiana. Calu. l. 3. c. 4. ss. 28 et c. 2. ss. 6. 7. & 11. In Comm.

ginibus quidem à fædo congreſſu temperantibus, in editum conſcenderint montem, tanquam illinc anima, & corpore in Cælum aſſumendi. Quod vnum ſatis eſſe poterat demonſtrandæ eiuſmodi Sectarũ peruerſitati. Si enim habenti hanc fidem, firmiter credendum ſit, ſe ad vitam æternã prædeſtinatum eſſe, nec ſibi peccata imputari, bene, aut male operari ducet indifferens, Peccare non erubeſcet, Non timebit Gehennã, Non vltricem Dei iram, Non Gratię Diuinæ priuationem; Quod quidem Atheiſmũ redolet, de quo dicitur, *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus: Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis: Nõ eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Tantoque eſt perniciosius hoc figmentum, quòd decipit, non ſub aperta impietatis forma, ſed ſub ſpecie Religionis, & honoris Diuini, nempe ſub ſpecioſis titulis Fidei peculiaris, Satisfactionis Chriſti, Libertatis Noui Teſtamenti, & Prouidentiæ, ac Prædeſtinationis Diuinæ. Pſal. 13.

Ex quibus diuersã prorſus Romanæ Religionis, & Lutheranæ, ac Caluinianæ rationem, ac finem vnuſquiſque colliget: Ipsàque Doctrinæ antitheſi, veluti ex lapide Lydio, illam, Legibus ſuis, & inſtitutis ad Cæleſtia dirigentem, veram eſſe, & orthodoxam: Has verò, quæ ad omnes

tra-

trahunt ſenſuum illecebras, erroneas, ac falſas eſſe, facillimè intelliget.

Doctrinarum antitheſi, ad eiuſdem veritatis probationem, adde aliud fundamentum, ex Auctoribus tàm Romanæ, quàm aliarum, quas vocant, Religionum; Etenim

Romana Eccleſia Succeſſionem ſuam ducit ab Apoſtolis; à quibus, ſiue Ordinis, ſiue Iuriſdictionis poteſtatem ſpectes, progrediuntur omnes eius Miniſtri; Siquidem, vt Auguſtinus, Chryſoſtomus, & Ambroſius docent, Quod ſpectat ad poteſtatem Ordinis, Presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi Sacris initiantur ab Epiſcopis, Epiſcopi ab alijs Epiſcopis, & hi rurſus ab alijs vſque ad Apoſtolos, qui hanc poteſtatem à Christo accepere: Omniaque Miniſteria, quæ per hanc poteſtatem peraguntur, veluti conſecrandi, ſacrificandi, abſoluendi à peccatis, & conficiendi alia Sacramenta, referuntur ad Chriſtum, eique tribuuntur, tanquam primario Authori, qui illis inuiſibiliter præſidet, & aſſiſtit. Et ſicut omnes homines ſecundum vitam, ac potentiam naturalem longa generationum ſerie originem trahunt ab Adamo; Ita omnes Eccleſiæ Miniſtri ſecundum poteſtatẽ ſupernaturalem, continuata Ordinationium ſerie, deſcendunt à Chriſto.

Tract. 5. in Io: Hom. 60. ad Pop. Lib. 4. de Sacr. c. 4. & 5.

Quod

Quòd verò ſpectat ad Iuriſdictionem, qua ſcilicet Miniſtri regunt Populum Chriſtianum, prædicant Verbum Dei, obeunt reliqua Paſtorum munera; Parochi ſuam iuriſdictionem ab Epiſcopis obtinent, Epiſcopi à Summo Pontifice, Summus Pontifex, cum Beati Petri in eandem Cathedram, & in idem munus regendæ Eccleſiæ Catholicæ ſit Succeſſor, illi etiam neceſſariò in eandem ſuccedit iuriſdictionem, quę à Chriſto proximè ipſi Beato Petro, & eius legitimis Succeſſoribus collata eſt. Et ſicut in Veteri Teſtamento nulli erant Sacerdotes, niſi qui genus deducerēt ex Leui per Aaron: Ita in Nouo nulli ſunt Sacerdotes, vel Epiſcopi, niſi qui gradu Ordinis, & Iuriſdictionis poteſtate procedunt à Chriſto Summo Sacerdote per Apoſtolos, eorumque Succeſſores. Adeoque omnis Eccleſiæ Romanæ Miniſter, omnis Concionator Verbi Dei, aut Catechiſta Miſſionem ſuam à Domino dependere facilè demonſtrabit.

Quam quidem ab Apoſtolis Succeſſionem ſemper plurimì fecerant Patres omnes, & præcipuè Irenæus, Tertullianus, & Auguſtinus. Qui quidem Auguſtinus; *Tenet*, inquit, *me in Eccleſia ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas Oues ſuas Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum Succeſſio Sacerdotum.* *Lib.3. c.v.* *De Præſcr.* *Lib.4. con. Ep. fundamenti.*

Præ-

Præsertim quia, vt benè expendit Tertullianus, Romana Religio, non sola Ministrorum Successione, sed etiam *Doctrinæ*, vt idem ipse loquitur, *Consanguinitate cum antiqua, & Apostolica congruit, & continuatur*.

Lutherana autem, & Caluiniana non solùm non possunt Lutheri, aut Caluini ab Apostolis demonstrare deriuationem, aut originem; vnde ijs congruit illud Pauli; *Quomodo prędicabunt, nisi mittantur*: multoque magis illud Ioannis; *Qui non ad intrat per ostium in Ouile Ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro*: Sed neque inficiari possunt eorum Sectatores, quin ipsi fuerint homines omnino infames, varij, ac mendaces; Etenim

Rom. 10.

Ioann. 10.

Lutherus, qui, vt ipsemet fatetur, propter libidinis vehementiam, & concupiscentiam mulierum ad insaniam prope fuit redactus: & non magis, vt dicebat, potuit abstinere à Muliere, quàm à cibo, & potu; cum esset Monachus iam professus, & Sacerdos à quindecim annis, adeoque duplici titulo Continẽtiæ custodiẽdæ Voto obstrictus, relicto Monasterio dimisso habitu, violatis professionis votis, Monialem professam sibi copulauit, & cum ea diu vixit. In quo duplex, omnium iudicio, sacrilegium commisit, & millies iterauit. Quapropter, si ex iure,

In Colloquijs Mensalibus fol. 415.

De Vita Coniug.

re infamis eſt, quicunque in adulterio deprehenditur; qualis dicendus eſt, qui nuptias tàm ſacrilegas contraxit; vel hoc ſolo nomine dignus, qui flammis cremaretur. Et ſi Iouiniani Imperatoris religioſiſſimi iam ante mille annos Lege ſancitum fuit, vt capitaliter in eum animaduerteretur, qui ſacram Virginem, non dico rapere, ſed tantùm attentare ineundi matrimonij cauſa, aut impudicos in eam oculos inijcere auderet; quibus pænis dignus erit, qui non modo Monialem attentauit, ſed illa aſſiduè ſacrilego concubitu abuſus eſt?

L. palam §. ſi de adulterio ff. de rit. nupt.

L. ſi quis C. de Epiſc. et Cler.

De Caluino autem habes apud Hieronymum Bolſecum in eius vita Primati Franciæ Archiepiſcopo Lugdunenſi dicata; eum Nouioduni conuictum, & damnatum nefandi criminis publicè exurendum fuiſſe, niſi Epiſcopi, & Magiſtratus commiſeratione, pæna ignis in pænam virgarum, & ferri candentis inuſtionis in tergo, illi commutata fuiſſet: Is verò ſe Acta vidiſſe in manibus cuiuſdam miniſtri ipſius Curiæ teſtatur his verbis; *Quod ego teſtimonium publicum apud hunc vidi, & in ipſiuſmet manibus inſpexi, & idcirco vt rem veriſſimam commemorare poſſum.*

Cap. 5.

Cui ſubſcribens Iulius Brigerus refert, Caluinum, vt diximus, condemnatum, cum eam

In floribus Caluiniſtarum.

Pp ignoe-

ignominiam ægerrimè ferret, vendidisse Beneficia sua, & in Germaniam se contulisse, mutato prius nomine; nam pro Cauuino Caluinum se vocitauit, & aliquando Carolum de Heppe, aut Carolum de Happe.

In Promptuario Cath. Sab. Hebd. 3. Quadr.

Et vtrique accedit Thomas Stapletonus, qui, *Inspiciantur*, inquit, *etiam hodie Ciuitatis Nouiodunensis in Picardia scrinia, & rerum gestarum monumenta: In illis adhuc legitur, Ioannem hunc Caluinum sodomiæ conuictum, ex Episcopi, & Magistratus indulgentia, solo stigmate in tergo notatum, Vrbe excessisse. Nec eius familiæ honestissimi viri adhuc superstites impetrare hactenus potuerunt, vt huius facti memoria, quæ toti familiæ aliquam notam inurit, è ciuicis illis monumentis, ac scrinijs eraderetur.*

In fidei demonstrat. ratione 3.

Vnde etiam præclarus Martyr Edmundus Campianus rectè Caluinum vocat *Stigmaticum Profugam*. Et Guilielmus Reginaldus, *Mitto*, inquit, *quæ Lutherani fratres, obijciunt de Caluini varijs flagitijs, & sodomiticis libidinibus, ob quas stigma eius dorso impressum fuit à Magistratu, sub quo vixit.*

Lib 2. Caluino: Turcismus c. 18

Eumdemque Caluinum in crimine perseuerasse, ex plurimorum testimonio refert Florimundus Præses Burdegalensis, dicens; *Fertur, & complures scriptis euulgarunt, Rectorem Col-*

Lib. 3. De ortu Hæresis c. 9.

legij

legij de Boneourt accusasse Caluinum nefandi criminis, & ex Puerorum depositionibus, cùm non comparuisset, absentem fuisse condemnatum. Et Bolsecus supra citatus in ipsa Caluini vita asserit; *Cum Puer, Caluini minister, quatuor Francorum millibus Hero subtractis, se in fugam dedisset, & amici vellent illum persequi, nunquam hoc Caluinum permisisse, ne videlicet comprehensus Puer arcana patefaceret.* Cap. 11.

Ex quibus patet, etiam Caluinum & iuris, & facti infamia laborasse *vulgata l. 1. ff. De his, qui notantur infamia, & l. quid ergo §. ex compromisso, eodem titulo.*

De varietate eorumdem Lutheranæ, & Caluinianæ Sectæ Auctorum; Quòd spectat ad Lutherum, exstat eius contradictionum tabula, à Gaspare Guathamor Saxone in lucem edita: itemque Coclæi opus inscriptum, *Lutherus Septiceps:* & plerique tradunt, neminem prorsus fuisse magis varium in scribendo.

Quod pertinet ad Caluinum, vel inde liquet, quòd de ipsamet Omnipotentia Dei quodã loco affirmat; *Verbo Dei nulla est impossibilitas obijciẽda.* Alibi verò dicit; *Illud somnium de Potestate absoluta in Deo, quam Scholastici introduxerunt, execranda blasphemia est.* Et cum iam scripsisset de D. Petro, se non pugnare, quin Romæ Ad cap. 1. Lucæ. Ad cap. 23. Isaiæ. Inst. l. 4. c. 6

mortuus esset, propter consentiens hac de re Antiquitatis testimonium; alibi dicit; *Nisi maria, & terras momento transuolauerit Petrus, procul ab Italia mortuum esse, constat.* Adeòque ambo ipsi Hæresiarchę sua dogmata mutarunt, vt hinc vnusquisque colligere queat, immutabilem Sacræ Scripturæ veritatẽ cum tanta horum inconstantia nullum habere posse commerciũ.

In Epistol. D. Petri,

Quàm etiam ijdem mendaces fuerint, ex eo ipso intellige, quod prȩter alios Doctor Ioannes Dictembergius, vt initio diximus, conuincit Lutherum de 874. mendacijs. Porrò Lutherani ex altera parte, vt Surius testatur, Caluinum propterea vocant Præstigiatorem.

In duabus Confutationibus.

Quis ergo Sectas hasce non detestetur, quarũ Authores non solùm Apostolis non succedunt, sed palam sunt infames? Quis non eas horreat, quarum tam varij sunt Authores? cum Deus sibi contrarius non sit, nec sensus Prophetarum, qui ab vno spiritu sunt, se inuicem destruant. Quis non illas execretur, quarum Authores adeo sunt mendaces? Quando, vt ipsemet Satanæ administer Lutherus fatetur, *Qui semel, mentitur, hic certissimè ex Deo non est, & suspectus in omnibus habetur.* Atque alibi ait; *Si semel deprehenderer mentitus, iam tota mea doctrina, & honor, & fidelitas finem penitus haberet, &*

In Asser. Teut. Ar. 25

Lib. con. Emserum.

vnus-

vnusquisque me pro nequam habiturus esset, & infami Nebulone.

Tertium denique fundamentum, quo Romanam Religionem Euangelicam, & Catholicam esse demonstramus, est Gentium ad eandem Romanæ Ecclesiæ Doctrinam conuersio, & illarum Sanctitas. Enimuero, vt habemus ex Annalibus Ecclesiasticis,

Primis quinque Sæculis, ad Romanam Religionē, (quæ, Apostolo teste, vix orta, breui tempore per totum Orbem illuxit,) conuersi sunt Brabanti, Flandri, Hollandi, Frisij, Vuespali, Franci, & alij, per Seruatium, Eligium, Rumoldum, Amandum, Vedastum, Lierinum, Remigium, Vuillebrordum, Suuitbertum, Vulfrannum, & alios Romanæ Ecclesiæ filios. Sexto Sæculo, conuersi sunt Angli per Monachos ad hoc destinatos à S. Gregorio. Septimo, Franconi per S. Kilianum ad hoc missum à Conone Romano Pontifice. Octauo, conuersa est vniuersa pæne Germania per S. Bonifacium, missum à Gregorio XI. Nono, conuersi Vuandali, Bulgari, Slaui, Poloni, Dani, Moraui per delegatos item ab hac S. Sede. Decimo, conuersa sunt multa Regna per Henricum Primum Imperatorem, & Adalbertum Bohemorum, & Methodium, Morauorum Archipræsules:

Rom. 10.
Colos. 1.

Vn-

Vndecimo, conuerſi ſunt Vngarorum plurimi per eorum Regem S. Stephanum. Duodecimo, Noruegi per Adrianum Quartum nondum Pontificem. Decimo tertio, magna pars Tartarorum per duos Dominicanos. Decimo quarto, ad xxv. millia Iudæorum, ac Saracenorum per S. Vincentium Ferrerium eiuſdem Ordinis Prædicatorum. Quemadmodum poſterioribus etiam Sæculis conuerſi ſunt innumerabiles Indiarum Orientalium, Iapponiæ, Regni Chinarum, Inſularum Indici maris, & Occidentalium noui Orbis per Religioſos diuerſorum Ordinum viros, Apoſtolica auctoritate illuc miſſos. Quod ſanè ex Pſalmo 18. & ex vltimo Matthei, Marci, ac Lucæ abundè probat veram Eccleſiam.

Quam gloriam nuſquam poterit ſibi arrogare Lutherana, aut Caluiniana Religio: Ad quas lapſi quidem ſunt plurimi, quemadmodum grauia, amotis impedimentis, ruunt deorſum; Quia ſcilicet homines ita comparati à natura ſunt, vt id facilè, & libenter credant, quod cupiunt, quod placet, quod delectat: Et eædem Sectæ omnem Chriſtianæ Religionis ſeueritatem abrogant, & carni tribuunt omnem licentiam; Sed re vera, ſicut vtraque conſtituta eſt ex Chriſtianis, qui à vera Fide, ac Religione

gione ad libertatem carnis defecerunt; sic vtraque studet, non vt conuertat Ethnicos, sed vt ipsos peruertat Christianos. Quod Hæreticorum proprium esse, olim aduertit Tertullianus, dicens; *De verbi administratione quid dicam? cum hoc sit negocium illis, non Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi. Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur; quoniam & ipsum opus eorum non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione: Nostra suffodiunt, vt sua ędificent: ita fit, vt ruinas facilius operentur stantium ędificiorum, quàm extructiones iacentium ruinarum.* Hæc Tertullianus. De Prescri.

Sanctitas quoque plurimorum, qui ex hac Romana Religione prodierunt, adeo est clara, vt non possit ab Hæreticis iure in controuersiam deduci; ea enim negare, vel in dubium reuocare, in quæ consensus Orbis conspirat, extremæ esset impudentiæ. Quod veram probat Religionem; siquidem, vt vno Catholici omnes ore fatentur, fieri nequit, vt praua Religio ad Sanctitatem perducat, vel vt vera Sanctitas cum praua Religione consistat, iuxta illud Apostoli; *Quę societas luci ad tenebras?*

Sectatorum autem Lutheranæ, ac Caluinianæ Religionis Sanctitas qualis sit, præter

plu-

plura, quæ supra passim retulimus, vel ex vno liquet Erasmi testimonio, qui aliquando eandem, quam ipsi Religionem, & libertatem, quam vocant, Euangelij, ac Spiritus professus illam prædicauerat. Is enim in Epistola (quam ipsius manu scriptam se vidisse, testatur Surius) describit eos, qui eiusmodi Doctrinam sequuntur, his verbis; *Video genus hominum exoriri, à quo meus animus vehementer abhorret: Neminem video fieri meliorem, deteriores omnes, quot quot ego sanè nouerim; vt vehementer doleam, me quondam in libris meis prædicasse libertatem spiritus.* & infra. *Ciuitates aliquot Germaniæ implentur Desertoribus Monasteriorum, Sacerdotibus coniugatis, plerisque famelicis, ac nudis: Nec aliud quàm saltatur, editur, bibitur, cubatur; Nec docent, nec discunt: Nullà vitæ sobrietas, nulla sinceritas: Vbicunque sunt, ibi iacent omnes bonæ disciplinæ cum pietate. Plura tibi super his scriberem, si tutum esset litteris committere.* Subijcitque; *Quænam est hæc libertas, vbi non licet dicere preces, non licet ieiunare, non licet abstinere à carnibus? Cogita, quid talibus possit esse miserius, etiam in hoc sæculo. Emoriar, ni malim isthic tecum agere, quàm in Palatio Cęsaris esse Primus Episcopus.* Hactenus ille. Ex quibus profectò euincitur, non Luthera-

Ad Cartuthusianum titubatem.

In Comment.

theranam, neque Caluinianam, ſed Romanam tantummodo Religionem, quam illi & Tridentinam vocant, Euangelicam eſſe, atque Catholicam.

Sed ne taciti præterijſſe videamur, quod Scriptor ille potiſſimùm ſuæ interſerit obiectioni, Lutheranæ, & Caluinianæ Religionis Codices obtegendæ veritatis cauſa prohiberi; Prohibitio conſultiſſimè fieri probatur ex Apoſtolo dicente; *Rogo autem vos, fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter Doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt: & declinate ab illis.* Atque alibi; *Hæreticum deuita &c.* Vnde Irenæus, Apoſtolorum ætati proximus, dicit, Apoſtolos, & eorum Diſcipulos ne verba quidem communicaſſe cũ quoquam eorum, qui veritatem adulterabant, ac deprauabant. S. Cyprianus, *Declinent*, inquit, *fortiter, & euitent, dilectiſſimi, fratres noſtri verba, & colloquia eorum, quorum ſermo vt cancer ſerpit.* & S. Leo; *Viperea Hæreticorum vitate colloquia: nihil vobis commune ſit cum eis, qui ſolo ſunt nomine Chriſtiani.* Si enim tantopere ſunt vitanda colloquia praua, quæ ſono tantùm prętereunte aures attingunt; quãtò magis erunt vitandi libri, mendacijs referti, qui perpetuò loquuntur, nobiſcum

Ad Rom: 16.

Ad Tit. 3.

Lib: 3. con. Hæreſes c 3

Lib. 1. Epiſtola 3. ad Corneliũ.

Serm. 18. de Paſsione Domini.

sedent, nobiscum peregrinantur?

Libros verò præcipuè prohibendos docent & Patres, & Pontifices, & Concilia, atque ipsimet Imperatores; Siquidem ex Patribus, Gregorius Nazianzenus, perdendos, ait, libros Hæreticorum tanquam Aspidum oua, nata ad Aspides, & Basiliscos procreandos. S. Basilius, *Turpe est*, inquit, *quæ in cibis noxia sunt, repellere, in sermonibus verò, & scriptis eorum, qui nostrum nutriunt animum, nullam habere rationem, sed more torrentis omnia obuia secum trahere*. Ad quod etiam confirmandum præstat, quod Augustinus admonet, Hæreticos seducere per Philosophiam, magno, & blando, & honesto nomine colorantes, & fucantes errores suos; & vocat *Hæreticorum scripta flumen tartareum, in quo iactantur filij hominum*. Ac proinde Isidorus aduertit, melius esse Hæreticorum peruersa Dogmata ignorare, quàm per experientiam in aliquem laqueum erroris incurrere.

Orationem 2. de Fide.

Ad Adolesc.

Lib. 1. Confess. c. 76

Lib. Reg. c. 8.

Ex Summis Pontificibus, Gelasius, eruditissimus, ante mille annos, libros Hæreticorum damnauit, & cauendos iudicauit. Itemque S. Leo contra vtentes eiusmodi libris rescripsit his verbis; *Nemo hoc impunè præsumat: Nec inter Catholicos censeatur, quisquis Scriptu-*

Can. Romana dist. 15.

Epistol. 93.

ris vtitur ab Ecclesia Catholica damnatis.

Ex Concilijs: Post Apostolos, qui, S. Clemente teste, prohibuerũt Fidelibus libros Gentilium, & falsorum Prophetarum; Nicænum, ex Nicephoro, libros Arij igni adiudicauit. Ephesinum interdixit libros Nestorij. Quinta Synodus Antimum, & eius libros damnauit. Septima generaliter interdixit, & iussit comburi libros Hæreticorum: & excommunicauit eos, à quibus leguntur.

Lib. 1. c. 7

Lib. 8. c. 18

Liberatus c. x. Breuiarij.

Act. 1.

Act. 7.

Denique ex ipsisimet Imperatoribus, Præter ea, quæ habentur in *l. damnato. C. de Hæreticis, & in l. quicunque. §. nulli. & l. omnes. Eodem Titulo*, Constantinus Christianissimus Imperator capitis sententiam tulit in eos omnes, qui libros Hæreticorum occultassent, & non statim combussissent. Ad cuius imitationem gloriosæ memoriæ Carolus V. Edicto sub eadem capitis pæna per omnes Ditiones suas hæreditarias Germaniæ inferioris omnibus interdixit lectionem librorum Lutheri, & quorumcunque aliorum Hæreticorum.

Hist. Tripl. lib. 2. c. 5.

Surius in Comm. anni 1540.

Et, si prophana in eundem finem velis exempla, Athenienses, teste Tullio, consueuerunt, omnes improbatæ lectionis libros comburere. Et Valerius refert, à Prætore Vrbano, ex auctoritate Senatus, per Victimarios, facto igne, in

Lib. 1. de Nat. Deorũ

Lib. 1. c. 3.

conſpectu Populi aliquot libros crematos fuiſſe, quorum titulus erat, *Diſciplina Sapientiæ*; quia exiſtimabantur aliqua ex parte pertinere ad ſoluendam Religionem. Quod ipſum vel illa ſola ratio ſanctiſſimè fieri perſuadet (præter eas, quas ſupra protulerunt Nazianzenus, Baſilius, Auguſtinus, & Irenæus) quia pauci ſunt eo iudicio præditi, vt poſſint verum à falſo ſecer-
Ieremiæ 15 nere, ac de Dogmatibus iudicare. & *Qui ſeparat pretioſum à vili, quaſi os Domini prædicatur*.

Vtinam Aduerſarij noſtri, quos hac ipſa veritate cõuinci, pro comperto habemus, agnoſcant iam, & ingenuè profiteantur, Euangelicam, & Catholicam Religionem eſſe Romanam, & Tridentinam, & quidem ſolam; Sicut enim vna tantùm eſt veritas, ita vna tantùm
Ephes. 4. eſt Fides; Apoſtolo etiam dicente; *Vnus Dominus, vna Fides, Vnum Baptiſma, Vnus Deus, & Pater omnium*.



En

EN ſagittas illas planè tartareas, quas in Sacrum Tridentinum Cõcilium giganteo prorſus auſu iactabundi vibrabant terræ filij, perfidi homines, ſeu potius hominum monſtra, Iuxtà Dauidicum illud, in *ſagittas Infantium* conuerſas. En bellicas machinationes, quas ad oppugnandam Catholicam Fidem Dæmonis arte conſtruxerunt hoſtes, paruo negocio diſſolutas. En Hæreſim ipſam, quæ inſtar filiæ Herodiadis coram Rege ſaltantis, præconium veritatis opprimere conabatur, vniuerſitatis omnium Sæculorum perpetuo conſenſu, & grauiſſima auctoritate, Hiſtorico, & quidem ſimplici, vt initio præfati ſumus, expreſſa Compendio, deiectam, ac proſtratam. Quippe *Turris fortiſſima nomen Domini:* Et æternis ſtat fundamentis Eccleſia ſupra firmam petram erecta, & Chriſti promiſſione ſolidata, cum Petro dixit; *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam.*

Pſal. 63.

Prouer. 18

Matth. 16.


Cæterùm, ſicut optauimus, hoc vnum eſſe noſtrorum præmium laborum, quibus ſacrum ipſum Concilium defendendum ſuſcepimus, vt quiſquis illi obijcit, veritatem ratione æqui amantiſſima perpendens, proprios agnoſcat, ac deteſtetur errores; Nec vlla

ani-

animi perturbatione commoti ſumus in perſonas, dum maledicta confutauimus; Ita nunc, Archelai Sanctiſſimi in Meſopothamia Epiſcopi, & Origenis exempla ſequentes, quorum Primus Manetem Hæreſiarcam Iudicio ipſorummet Gentilium ex conſenſu Iudicum confutauit: Alter, electo pariter ex conſenſu in Arbitrum, cui ſtandum eſſet, Philoſopho quoque Ethnico, quinque perditiſſimos Hæreticos ſuperauit; annuimus, vt ijdem Aduerſatores, dummodo in terminis rationis conſiſtant, ſint Iudices veritatis. Et quando ab Apoſtolo prohibiti ſumus, Hæreticum ſalutare, vel ei dicere ſaltem, Aue; Deum precamur (quod nemo prohibet) vt Spiritus Sancti gratia in hoc iudicio illos illuminet, eiſque ęternam ſalutem impertiatur.

INDEX

INDEX



Baby-

B

C

Cor-

D

E

Error

Festa

H

Hære-

I

L

Lega-

Lutbe-

Mar-

Mona.

Obla-

P

Pec-

Qua-

Q

R

Ro-

Sa-


335

Sexta

Tem-


Valen-

V



Si aliæ aderunt sagittæ, quas adhuc Ecclesiæ, ac Veritatis hostis retundendas putet, alius quoque Clypeus non deberit.

Idem Ludouicus Centoflorenius Aduoc.



Errata sic corrige.

Pagina.	*Linea.*	*Error.*	*Correctio.*
16	4	obxonia	obnoxia
34	11	Artichriſtos	Antichriſtos
43	25	Afinus	Aſinus
49	9	in	ij
59	11	miſerordia	miſericordia
64	16	ſuditque	ſubditque
77	3	Turcius	Turcicus
80	6	ſcriptis	Scripturis
82	1	Chiſmatis	Chriſmatis
114	26	idcireo	idcirco
116	16	acripiet	accipiet
120	2	turſus	rurſus
123	22	Corro	Porro
220	8	honore	honoro
220	23	Pellinis	Pellionis
261	23	ominum	omnium
276	3	fectum	feſtum
299	12	Maluini	Caluini

Leuiora Eruditus Lector aduertet.

095647070

